MEDITAMENTA
PRO FOEDERIBVS, EX PRVDENTVM MONVMENtis diſcurſim congeſta;

In quibus variæ & difficiles attinguntur Politicæ quæſtiones,

Autore
WAREMVNDO DE ERENBERG.

Corn. Tacitus.

Mihi quanto plura recentium & veterum reuoluo, tãto magis ludibria rerum mortalium CVNCTIS in negociis obuerſantur.

Cum Rerum & Verborum Indice copioſo.



HANOVIÆ
Excudebat G. Antonius, impenſis Petri Kopffii.
M D C I.

MEDITAMENTA PRO FOEDERIBVS, EX PRVDENTVM MONVMENTIS discursim congesta;

In quibus variæ & difficiles attinguntur Politicæ quæstiones,

Autore
WAREMVNDO DE ERENBERG.

Corn. Tacitus.

Mihi quanto plura recentium & veterum reuoluo, tã-
to magis ludibria rerum mortalium CVNCTIS
in negociis obuersantur.

Cum Rerum & Verborum Indice copioso.



HANOVIÆ
Excudebat G. Antonius, impen-
sis Petri Kopffii.
M D C I.
Cum gratia & priuilegio.

LVDOVICVS VIVES IN FINE lib. v. de tradend. diſcipl.

QVi non præſentibus tantum, nec eis quibus cum viuit, prodeſſe volet, verum abſentibus quoque & poſteris ſenſa animi ſui, monumentis literarũ ad poſteros conſignans, principiò noſcat Se, & vires ſuas expendat, quibus polleat rebus, quibus ſit ſcribẽdis idoneus; & ad hoc opus maximi momenti, purior ab affectibus & ſedatior accedat, quam ad aliud quodcunq;, etiam pacem à Deo ac veniam precatus veniet illi in mentem, *Vocem diſsolui ſtatim, exaudiri à paucis, Scripturam omnibus innoteſcere, & ſemper: idcirco nunquam non lædere, quæ hinc ſint mala.*

CAPITA MEDITATIONVM GENERALITER ET DISCVRSIM INSTITUTARUM.

Libr. I.

1\. *IN infinitis Rerumpubl. conuersionibus Principibus & consiliariis de fœderibus cogitandum, cum Fœdera sint instrumenta ad potētiam imperiorū perpetuis mutationibus subiectorum; conseruandam & augendā valida, eaq; diligenter & ordine tractanda.*

2\. *Fœdera in Repub. vsitatissima, frequentissima ac omni iure concessa; ac quo pacto cautè contrahenda.*

3\. *Vocabuli* fœderis, *explanationem quærendam, vt induciarum & Treugæ.*

4\. *Fœderum genera & his affinia consideranda.*

CATALOGVS LIBRORVM ET AVTORVM, EX QVIBVS PRO MORE TEstimonia maioris fidei gratia citata sunt.

Accursius
Abrah. Ortelius
Adrianus Turnebus
Æſchines
Æneas Syluius
Albericus de Roſatis
Albertus Crantius
Albericus Gentilis
Alexand. ab Alexandro
Alexander ab Im.
Alexander Guaguinus
Aluarottus
Aluarus
Andreas Alciatus
Andreas Tiraquellus
Andreas Gorucius
Angelus
Antonius Aymonius
Ammian⁹ Marcellinus
Anto. Monach⁹ Melit.
Antonius Gueuâra
Antonius Vacca
Antonius Poſſeuinus
Ariſtoteles
Arnobius
Arrianus Nicomedienſis
Arrianus
Antonius de Butrio
Aſinius Pollio
Athenæus
D. Auguſtinus
A. Gellius
Agala.

B.

Baldus
Balthaſer Caſtell.
Barlandus
Bartolus
Bartolomæus Philip.
Bellarminus
Bellinus
Benedictus Ariamõtanus

D.Bern-

Franciſcus Duarenus
Franciſcus Guicciardinus
Franciſcus Hotom.
Franciſcus Picolom.
Frideric. Tilemann⁹.

G.

Gabriel Paleottus
Gebhart. Wernerus
Girolamo Frachetta
Grammaticus
Guilhelmus Cambdenus
Godſcal. Stewichius

H.

Henricus Bullinger.
Henricus Farneſius
Henricus Stephanus
Herodotus
Hieronymus D.
Hieronymus Gigas
Hieron. Mercurialis
Homerus
Horatius
Hoſpinianus
Hippolytus à Collib.
Hieron. Schurffius

I.

Iacobus de Caſtillo
Iacobus Cuiacius
Iacobus Menochius
Iaſon
Iacobus Rickius
Inſtitutiones Iuris Ciuilis
Ioſephus Ludouicus
Ioachimus Camerari⁹
Ioachim. Mynſinger⁹
Iodoc. Dãhouderius
Ioann. Petrus Surdus
Iohan. Borcholt
Ioannes Bodinus
Iohannes Colerus
Iohannes Corraſius
Iohannes Cureus
Iohannes de Lignano
Ioh. Lewenclauius
Iohannes Oldendorp.
Iohan. Picus
Iohannes Sleidanus
Iohannes Sturmius
Iohannes Faber
Iohan. Schneidewin.
I.C. Scaliger
Iohannes Wierus
Iohan. Godelmannus
Iſernia
Iſocrates
Iouianus Pontan.
Ioſephus
Iuſtus Lipſius
Ius Canonicum

Iu-

Iulius Pfluck.

L.

Lactantius
Laertius
Lambertus Danæus
Lampridius
Lancellottus Poll.
Laurent. Kirchouius
Lazarus Sorantius
Laurentius Grimald.
Leo Imperator
Leonicus
Lucretius
Ludolphꝰ Schraderus
Ludou. Granatensis
T. Liuius

M.

Macrobius
M. Anton. Muretus
M. T. Cicero
M. Antonius Peregrinus
Mantica
Manilius
Marsilius Ficinus
Martinus Boreck
Marquardꝰ Freherus
Martinus Lutherus
Martinus Monterus
Martagones de Matagonibus
Matthęus de Afflictis
Matth. Wesenbecius
Martinus Laudensis
Michael Neander
Mutius
Marianus Socinus

N.

Nathan Chytræus
Negusantius
Nicephorus
Nicolaus Eberhardus à Middelburg.
Nicolaus Selneccerus
Nicolaus Machiauel.
Nouellæ constitutiones
Nicolaus Cleonardus
D. Della Noue

O.

Onosander
Origenes
Otto Frisingensis

P.

Pacificatio Coloniẽsis
Padillus
Pandectę Iuris Ciuilis
Panormitanus
Paulus Castrensis
Paulus ab Eizen
Paulus Iouius
Paulus Manutius

Petrus Peckius
Petrus Heigius
Petrarcha
Petrus Gregorius
Petrus Martyr
Petrus Frider. Mind.
Petrus Quinqueranus
Petrus Rebuffus
Petrus Victorius
Philipp. Camerarius
Philippus Cominęus
Philippus Decius
Philippus Melanthon
Philippus Porcius
Philippus Mornęus Plessæus
Pindarus
Plinius Secundus
Plato
Plutarchus
Poggius
Polybius
Poliænus
Propertius
Prudentius

R.

Reichs abschiedt
Romuleus
Rutgerus Rulandus.

S.

Sanzouinus
Salustius
Scipio Ammiratus
Senecæ Tragœdiæ
Simon de Prætis
Simplicius
Socinus Iunior
Spannochius
Sonsbecius
Speculum Saxonicum
Staniflaus Orickouius
Strabo
Sydon. Apol.
Symmachus.

T.

Terentius
Tobias Nonius
Theophilus Banosius
Thomas de Marin.
Thomas Morus
Thucydides
Tiberius Decianus
Tomago Garzono

V.

Valerius Maximus
Varro
Vbertus Folietta
Vegetius
Vincentius Cabotius
Vincentius Castellanus

Vdal.

Vdal. Zasius
Victorius ab Auersa
Virgilius
Volaterranus

W.

Wilhelmus Verheiden
Wolfgangus Musculus.

X.

Xenophon
Xistus Betuleus

Z.

Zabarella
ZWingerus.

IN TRACTATVM DE FOEDERIBVS

PRÆFATIO,

CAPITE PRIMO comprehenſa.

1 Omnia imperia, etiam optime cõſtituta, mutari, decreſcere, euerti.

NVLLVM imperium nullumve regnum vel ſucceſſione firmiſſimo imperiorum fulcro, vel electione litigioſa ac dubia, vel ex his duabus conflatum, vel vi, vel arte, potentia, finibus, opibus, virtuteque regnantis ac authoritate, tùm obedientia procerum & populi, diſciplina militari ſeuera, milite domeſtico, ſubditorum beneuolentia, adeò eſſe benè conſtitutum, tùm quaſi ſtabilimento cuiusve imperii religionis puritate, vnitate & libertate, vitæ ſanctimonia, optimis legibus, rigore iudiciorum, præmiis & pœnis communitum, ſenatorũ, generis humani parte optima, prudentia, conſilio, grauitate exornatum & ad ſummam perfectionem

nem euectum, ac omnibus numeris abſolutum, quod non facta conuerſione, variis modis, inprimis potentia, præcipuo euerſionis inſtrumẽto, fato adueniente, & periodo vnicuiq; certa & euitabili præſcripta ac determinata, ſummo illo rerum omniũ chorago & moderatore vrgente & volente, ruptis omnibus vinculis modeſtiæ, pietatis; elapſa tùm ipſa ſtatus mutatione incidẽte & legum abolitione & iudiciorum, tum exorta tyrannide, tùm excitatis ſeditionibus, cõſpirationibus, ſumtis iniuſtis armis creſcẽte cõtemtu Dei, crudelitate, perfidia, luxuria, ſtudio rei priuatæ furore excitato ignobilis, errantis palliatique volgi, optimatibus prudentioribus in exilium ſub quocunq; velo ſceleratiſſimo miſſis vel demiſſis, neglectis ſaluberrimis conſiliis, ad principium reuertatur, euertatur, vel ſaltem mutetur, alteretur, decreſcat, ac aliis, Deo volente, conferatur, mutatione ſemper in contrarium tendente, ſuperbia & potentia in humilitatem ac inopiam, dignitate in ignominiam cõuer-

ſa, experiẽtia, omnium Monarcharum euentus ſtultorum magiſter, & pœnitentiæ comes, abundè teſtatur.

2 Mortalia imperia omnia.

Nullum enim imperium æternum, nullum imperium ſine fine datum, nulla vrbs cum prima ab impio condita, nulla Roma, nulla Conſtantinopolis æterna, mortalia imperia omnia. Totus namque orbis habitabilis, more nauis ſuſque deque ambitione ac regnandi cupiditate iactatur marinis fluctibus; nunc ſecundis, nunc aduerſis vtitur, vt debilitatus ac fractus transferatur ex vno in alium, ac tandem omnimodò intereat ac moriatur.

3 Præclara regnorum & terrę numinum conditio.

Hæc ſcilicet præclara conditio Regnorum & regum, potentiæ, opum & ipſius mundi ac rerum humanarum! *Non ſic Lybicis Syrtibus æquor*, inquit Tragicus,

Furit alternos voluere fluctus,
Non Euxyni turget ab imis
Commota vadis vnda niuali vicina polo:
Vbi cæruleis immunis aquis lucida
Verſat plauſtra Bootes; vt præcipites
Regum caſus fortuna rotat.

Sunt

Sunt etiam oppidis, inquit Crãcius, lib. 1. Wandal. cap. 1. vt hominibus sua fata; sunt stata tempora, quibus euolutis paulatim decidunt. Manilius lib. 4.

4 Oppida quoque interire.

Quid numerem euersas vrbes regumque ruinas
Inque rogo Crœsum, Priamumque in littore truncum
Cui nunc Troia rogas.---
---sic omnia verti
Cernimus atq; alias assumere robora gẽtes
Concidere has ; cecinit Ouidius, & Propert.
Magni sæpè duces magni cecidere tyranni;
Et Thebæ steterant, altaq; Troia fuit.

In summa, inter homines nihil stabile & ita mobile, quod nullam patiatur mutationem. Manilius:

5 Inter homines nihil perpetuum & nihil hominibus æternum.

Omnia mutantur mortali lege creata;
Nec se cognoscunt terræ vertẽtibus annis
Exutas variam faciem per secula gentes.

Mouentur, currunt, vagantur cuncta, cum omnis noster status sub perpetuo motu consistat, *Nouell. const. 7. §. vlt.* in quam rem multa congessit *Ferd. Vasquius in præfatione lib. 1. Illustr. quæst. nu. 35. cum seqq. vsq; 42.* Verissimum & illud:

Nil equidẽ durare diu ſub imagine eadẽ
Crediderim, ſic ad ferrũ veniſtis ab auro,
Secula; ſic toties verſa eſt fortuna locorum.

Nihil itaq; hominibus æternum eſt, voluunt mortalia vices crebræ; & rebus omnibus fuga fit. *Symmach. lib. 8. epiſt. 27.* Cum ipſe Sol deficiat, Luna laboret & tabeſcat, ſidera cadant, *Lipſ. lib. 1. de Conſtant. c. 16. Victorinus ab Auerſa de vanitat. mundi, pag. 27.* & hoc eſt quod Salomon dicebat: Quæ hîc fiunt vix momentum habẽt ſtabilitatis tempore noua ferente: Quę principium habent, iis quoque ſuus eſt finis, *Syluius lib. 1. epiſt. 155. Camerarius lib. 2. epiſt. poſt. pag. 222. Peucerus magni iudicii vir de diuin. gener. pag. 30. 31. Pet. Gregorius de Repub. lib. 21. cap. 1. & 2. Crancius lib. 9. Wandal. cap. 20.* nihil vt ſit quod non ſua fine occidat & moriatur; cum & fluuiorum mortes narrẽt ſcriptores: Flumina enim in Italia in cõtrarias partes fluxiſſe; quædam prorſus exaruiſſe tempore Cæſaris & Auguſti, Dion in Auguſto refert; & eo rerum commutationem ſignificatam narrat; omnis materia formæ mutationem quærit & migrat

6 Flumina mortalia.

grat in alias naturas: Mores, consuetudines, loquēdi ratio, leges ipsę mutantur, etiam in æs incisæ, omnes denique artes. Manutius eleganter in *præf. in lib. 2. de Rom. legibus*:

Repetunt proprios quæque recursus
Redituque suo singula gaudent;
Nec manet vlli traditus ordo
Nisi quod fini iunxerit ortum
Stabilemque sui fecerit orbem. Boëth.

3. Met. 2. Et per tal variar natura è bella, *Ferdin. Vásq. illustr. quæst. cap. 21. num. 14.*

Nec hoc mirum in rebus vicissitudini subiectis, cum ipsi ministri Dei, non sint stabiles & in Angelis Deus reperiat prauitatem, *Iob. 4. 15.* scilicet naturę, non gratiæ, vt *Damascenus & Dionysius lib. 4. cap. 7. artic. 30. Angelohierarch.* intelligit: vel, vt clarius loquamur, creaturę, respectu creatoris sunt instabiles. 7 Ministros & angelos instabiles.

Sic terræ numina vanitati subiecta variis casibus & diuersis fortunæ ludibriis etiam ad fastigium & culmen rerum euecta exposita sunt, vt & Respub. O insignis & horribilis Græcia, quis nō tuam indoleat vicem! O oriens, coru- 8 Græciam & orientem euersam.

ſcans propriis diſſidiis exhauſta, & varia regum arma, & regna magna armorum vi munita, diruta, euulſa, euerſa iacere, eleganter in aureo carmine de Regnorum euerſionibus narrat aureus Scaliger.

9 Diuina voluntate & diſpoſitione mutari & diſtribui regna.

Hiſtoria ſacra & profana nos docet, ſubinde miris mediis regna mutata & mutatas gentes cũ dominis, diuina certè voluntate, diſpoſitione ac prouidentia. *Daniel. 2. & 4. cap. Iob. cap. 13. Gorucius de prouid. lib. 12. cap. 1.* Impia itaque vox Tyranni Temuris, ſiue *Temerlingii*, cuius excellẽtiſſimi Imperat. memoriam planè tamen deletam putat *Poggius lib. epiſt. pag. mihi 130*, relata à Lewenclauio amico noſtro *lib. 7. Hiſt. Muſelm. pag. 361.* Quod ſi mundus hic apud iuſtum numen aliquo eſſet in precio, ſane dediſſet eum aliis, quam mihi, qui claudus ſum, & tibi Baiazeti, qui mancus es. Cyro nondum nato Deus regnum deputarat, *Eſaiæ c. 44. 45. & 3. Reg. cap. 13.* & paſſim hoc inculcat Scriptura, *Eſd. 1. c. 1. Ezech. cap. 21.* Frangam coronam, & ei dabo cui voluero. *Dan. 2. Ier. 27. Ezech. 29.*

Ecce ego, inquit propheta, dabo Nabuchodonoſor Regē Babylonis in terra: omnia enim incolumitatem à prouidentia, quemadmodum corpus ab anima, vitam trahunt. *Sal. Maſſil. lib. 1. de gubern. Dei.* De Auguſto & Antonio, Plutarchus in Bruto, in Cæſare, in Pompeio. Cōſtituit itaque Deus reges improbos & bonos & cōſtitutos deponit potenter. *Pſal. 2. 109. Daniel. 4. 4 Reg. 13. 12. 15. 2 Paralip. 36. Auguſtin. lib. 5. de ciuitate Dei cap. 2. Ferd. Vasq. lib. 1. illuſtrium quæſtion. in præfatione, num. 113. Gorrac. lib. 12. de prouidentia per multa capita.* Cui ſententiæ accedit Cicero De natura Deorum.

Periodi verò & mutationes imperiorum an ex numeris Platonicis, vel ex ſiderum poſitu ſint deſumendæ, vel potius ex quotidiano rerum promiſcuo vſu & actionibus humanis, prolixè diſputat poſt *Platon. 8. de repub. Ariſtoteles Polit. lib. 5. cap. 12. Iohan. Bodinus in methodo hiſtoriar. cap. 6. & lib. 4. de Repub. Dom. Della Noue, Diſcurſ. polit. 1.* vbi ſigna & cauſas euerſionis & remedia ponit, quibus occurrendum ſit mutationibus Rerum-

10 Vnde periodi imperiorum ſumēdæ.

pub. In hac ſyderum cõſtitutione quicquid eſt philoſophiæ, quomodo etiam interpretari cum excellẽtiſſimo *Barth. Philippo diſcurſ. 15. numer. 9. Io. Bodino & Peucero* libuerit, mutilum ac imperfectum, & idcirco tale eſt, in quo pia ac humana mẽs firmiter acquieſcere non poſſit, *Petrus Gregorius de Repub. lib. 21. capite nono, numero duodecimo, capite ſexto, cap. 7.*

11 Neque ex numeris, neq; ex nominibus.

Illis itaque non facile adſtipulari debemus, qui quaſi fatales conſtituunt Eccleſiarum & Regnorum in numeris periodos, vel etiam in nominibus. Vnde & Romæ nomen ignorari ſtudio adhuc magno ſuppreſſum, nonnulli tradiderunt, *Macrob. libr. Saturn. capite 10.* conuerſiones. Perperam itaque Crancius exiſtimat Roſtochium infauſto ſydere conditum, cum vix tranſeat vna Saturni reuolutio ſine manifeſta purgatione, *libro ſeptimo* W*and. cap. 49.* Perperam & impiè ille, qui, Camerario referente, in vita Melanthonis, ſolo nominis numero Mauricium à Carolo vinci non potuiſſe, cum

12 Crancii error, Roſtochium infauſto ſydere cõditum.

cum nulla ſit ſtatuenda in nominibus relligio. *Carolus Paſchalius in legato, c. 77. pag. 521.*

Aſtris enim nihil imputandum acerrimus hoſtis Chriſtianæ relligionis ſcribebat Symmachus *lib. 10. epiſt. 54:* eo ſenſu, quo fatum accipiunt cõmentitiam neceſſitatem ex ſyderibus pendentem; vt Marc. Tullius in oratione pro M. Marcello; & Homerus, aſſerens fatum vnicuique hominum naſcenti nere id quod ipſi eſt venturum, *lib. Iliad. Υ.* à ſeptem ciuitatibus repetitus. *Gell. lib. 3. cap. 11.* Cuius Encomia ex Platone, Athenæo, Plutarcho, Quintiliano, Valerio, Apuleio congeſſit Michael Neander ad poëma Thriſphrodori; qui tamen Senecæ ne quidem philoſophus eſt, *epiſt. 88.* Omnis philoſophiæ & ingeniorum fons à Plinio *lib. 17. hiſt. natur. capite quinto, Macrob. lib. 2.* Strabone ciuilis ſapientiæ; à Iuſtiniano, omnis virtutis pater appellatus, voluerunt, fati & fortunæ nomen exploſum eſt ex Republ. Chriſtiana.

13 Aſtris nihil imputandum.

14 Nam hanc ſententiam fatalitatis à religione noſtra alienam ex *Auguſtino lib.5.de ciuit.Dei, Thom. lib.2. contra Gentiles*, & poſt Lutherum in nobiliſſimo *tractatu, de ſeruo arbitrio*, pie tradidit *Corraſius, martyr Chriſti ad* l. 1. *in verb. fatalitate, num.14. De iure Emph. Danæus lib.3. cap.5. pag.204. Polit. Chriſt.*

Fatalitatis nomen à fide Chriſtiana alienũ.

15 Sin *fati* nomen acceperis pro vi, & poteſtate Dei, omnia videndi, ſciendi, gubernãdi, cur eo ſenſu non vterer cum Lipſio *lib.1. cap.9. de Conſtant.* fidenter? Rebus enim ex debito, verbis ex vſus beneficio vtimur; eo quoque intellectu & puriores philoſophi & philoſophiſſimus, vt loquitur Imperator in *l.vlt.C.de repud. Plato 10. de Repub. Cicero in Academ.* tum recentiores, *Camerarius* in vita Melanthonis, omnium eruditorum Germanorum præceptoris, *pag.29.* ibi, fatali cõuerſione, hoc eſt decreto iuſtiſſimo, iudicio diuino ac occulta diſpenſatione Dei omnipotẽtis gubernantisque vniuerſa, Crancius vt loquitur *lib.11. Wand. cap.35. pag.267.* Oblectantur tamen Ethnico more loquendi peruerſi impuritatis exemplo

Quo pacto fati nomine vti liceat.

Rebus & verbis quomodo vtendum.

du-

ducti ac inimica disciplinæ licẽtia pernicieq; pari in Repub. Christiana grassantes.

In eo etiã insaniebant reliqui, Chrysippus & asseclæ, opinantes fatum & fatalem periodum esse sempiternam quandam rerum & actionum seriem & catenã, quæ semetipsam volueret, per æternos consequentiæ ordines, Deo neque vidente neque gubernante. Vnde Iupiter apud Homerum Iliados X. se Sarpedona morti eripere non posse, quod ei fatale esset, tùm à Patroclo interfici. Parum itaq; profecisse in schola Christianorũ videtur Petrarcha, adhuc dubitans, quæ fati vis sit, an Dei iudicio vel permissu operetur, *lib. 6. epist. famil. epist. 5.* debuisset in memoriam reuocasse, quæ apud Iustinum forsan legerat, in *lib. de defensione Christian. ad Antonin. Pium Imperatorem*: prophetas docere pro operum meritis non fato vnicuique retribui ac fato vi exercente ꝓpria, nihil esse in hominis potestate: & nos eundem videre & contraria ire subinde. Falsa opinio Plutarchi, dicentis

16 Chrysippi dogma.

17 Impia Petrarchæ dubitatio.

18 Pro operum meritis non fato retribui.

fortunam omnia ſoluere: in vita Pompeii. Falſa opinio Demoſthenis, in Oratione De pace, fortunam omni humano ingenio & ſapientiæ imperare. Perperam etiam Philiſcus docuit, quale fatum noſtro curriculo deſtinatum, talem noſtram vitam neceſſariò eſſe, *Dio lib. 38.* Vnde etiam explodenda eorum forſan opinio, qui volunt fato etiam diſpoſitum quando & quomodo vnicuiq; moriendum, quam opinionẽ quoſdam phantaſticos Mathematicos aſtruere notauit *Ioannes Faber ad Tit. Inſtit. de capit. diminut. in princip. num. 1.* vbi allegat D. Gregorium tales refutantem: ac oſtendit Auguſtinus De dogmate Hippocrat. & Platonis erroneam hanc doctrinam & diuinandi curioſitatem dudum damnatam, patet ex *l. 5. & ibi nouiſſimè Gentilis ac Binsfelt, cap. de malef. & mathemat.* Quia ibidem in paratit. *pag. 747. Ioannes Picus lib. 12. diſp.* Vt enim de cælo non eſt euitabilis cauſſa peccandi, *Auguſt. lib. 1. Dulcil. cap. 9.* Sic nec vitæ, nec mortis poteſtas ac diſpoſitio: Sortes enim vitæ no-

19 Mortẽ nullã fatalem.

tæ no-

tæ noſtræ in manu Dei: & authore
Clemente Alexand. in protrept. Sol & Lu- 20
na ſunt tantum inſtrumenta temporis
ea vt diſtinguant, nec animus adhoc vel
illud mortis genus à ſyderibus cogi po-
teſt, *Simplicius in Comment. ad Epictet. pag. 19. pag. 22.* Aſtrologia itaque, quæ de 21
morte, vita, fortuna prædicit, tanquam
diuini imperii maieſtatem diminuens,
nullatenus ferēda: *Eſaiæ cap. 47.* Sta cum
incantatorib. tuis, &c. defeciſti in mul-
titudine conſiliorum tuorum: ſtent &
te ſaluent augures cæli, qui contempla-
bantur ſydera & ſupputabant menſes
vt ex eis annunciarent ventura tibi, *Leuit. 19. Deut. 18. l. item, 15. §. Si quis, 13. De iniuriis*, vbi IC^tus^ Vlpianus Ethnicus aſtro-
logiam diuinatoriam improbat; ap-
poſitè Valleſius, quem allegat Genti-
lis in *l. 2. C. de mal. & math.* Aſtrologia
à viris doctis deridetur, vt inanis; à
cordatis exploditur, vt inutilis; à le-
gum latoribus interdicitur, vt im-
pia; & in eo conſentiunt optimi qui-
que: Queis creditur attamen, & cum
laude probantur tanta: tanta eſt ſto-

Solem & lunam inſtrumenta temporis.

Aſtrologia quæ non ferenda.

lidi plumbea ſocordia mundi; inquit Scaliger *lib.5. Epidorpid. Cyprianus in tractatu de ſingul.clerico. pag.470.* Inde rectè Auguſtinus vatibus interdixit, ne vel remotis arbitris, vel coram aliis de morte cuiusquam prædicerent. *Dio libro 55. in August. pag. 538.* Et non imprudenter è ſchola Medicorum eiecit *Iulius Alexander lib. 4. de Med.pag. 233.* Qua tamen aſſertione verum vſum Aſtrologiæ minime improbamus, ſed certis terminis circumſcriptam laudamus cum *Luthero, Melanthone, Garcæo, Beza epist. 29. & Zuing. vol. 5. lib.3. Theatro humanæ vitæ, p. 1269. Pet. Gregorio De Republ. lib. 21. cap. 9. num. 21. Plutarchum in Pericle ſecuti.*

22 Prouidētia in res minutiſſimas intenta.

Hoc iam relinquitur periodis fatalibus & aſtris, nihil relictum iuris in mutandis, euertendis vel cōuertendis imperiis, Repub. ciuitatibus. Nam prouidentia Dei immota & in minutiſſimas res intenta regitur mundus, mundi regna, mundana omnia & mortaliū conſilia: oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram, *2. Paralip. cap. 16. Ier. 10. Prou. 16. Eſaiæ cap. 46. Matth. 10. P. Mor-*

Mornæus Plessæus de veritate religionis, cap. 11.12.13.

Quamobrem si tantummodo cum Scriptura loquendum, certè vnicum & immotum est omnium mutationũ fundamentum, quod Dominus ipse statuit *lib. 5. Moysis, cap. 32.* Si acuero vt fulgur gladium meum & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. *Petrus Gregorius de Rep. lib. 21. cap. 3. & 4.* Hostes verò Dei in qualibet reperiũtur Rep. impietatem, perfidiam, luxũ, crapulam, fastum, blasphemias, gratiæ diuinæ præferentes. Sequitur ergo illud quod propheta *Esaias cap. 3.* clamat: Ecce Dominus, Dominus exercituum auferet à Hierusalem & Iuda validum & fortem, & virum bellatorem, iudicem & prophetam, & ariolũ & senem: principem super quinquaginta & honorabilem vultu & consiliarium & sapientem de architectis & sapientem eloquii mystici, & dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis: & desolationem totius orbis describit

23 Vnicum & immotum mutationũ fundamentum.

idem propheta *capite 24. Oseæ 6. & 11. Prouerb. 28. Danæus lib. 3. capite 5. Polit. Christ. pag. 203.* Verissimum & illud est, Feci illos errare in inuio, & non in via, & Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, *Esaiæ 10. cap.* Spiritu tali immisso, turbatisque consiliis sequuntur errores infiniti in iis, qui præsunt Reipubl. cum per se stolidi & amentes nō intelligāt gubernationem, vel talibus vtuntur cōsiliariis, qui mordicus conceptas sententias in gratiam Principum, Augustæ, gynæcei, procerum, vel vtilitatem propriam retinentes insanis & furiosis consiliis, decipiunt principes. Exinde læditur, læditur, inquam, authoritas Principis, mutatur fauor subditorum impietate erga Deum, iniustitiâ erga subditos in œconomia crescente negligentia, voluptate atque luxuria.

24 Vnde errores in Rep. oriantur.

25 Diuina gratia cōseruari Rempubl.

Manet hoc, diuino fauore, conseruari imperia, non virtute, nō industria, non potentia mortalium. Fit quidem sæpius vt diuina gratia excitentur Heroës, qui præsunt imperiis & iis non excita-

citatis corruant, verum etiam pruden-tiſſimis gubernantibus & præclaris vi-ris, Reſpubl. euertantur, impiis ſtultis præfectis floreant: Non itaque ſemper cohærent diuina voluntas & prouiden-tia atq; præſtãtiſſimorum Heroum ex-cellẽs virtus, vt voluit Wilhelmus Ver-heidẽ, in Oratione quam Venetiis ha-buit, De ortu & occaſu imperiorum. Piè itaq; & verè tribuimus diuinæ pro-uidentiæ, quod alii ludo, fortunę; ita ta-men, ne dicamus Deum exercere po-tentiam ſuam imperio Tyrannico in homines, eosque tãquam pilas ſurſum deorſumque agitare: Neque Deus, ſed hominum prauitas, iniuſtitia & impie-tas gubernantium euertit rerũ ſtatum: Qui enim ſuper alios eminent, contu-meliosè & crudeliter inſultant ſubditis & celerociter iuſſiones emittunt. Rurſus itaque labuntur ex dignitatis ſolio & pręcipites cadunt, ne in poſteros trans-ferant regna: Inſuper accedit humani ingenii peruerſitas, quę expetit crebras mutationes, quas Deus odit. Prouidẽ-tia Dei iuſtiſſima, pietas gubernatorũ,

26 Error Wilhelmi Verheiden.

prudentia ac integritas cõſiliariorum, obedientia & concordia ſubditorum, columnæ imperiorum. Vt vero vitemus corrixationes, cõtentiones ac iurgia, ex mira diſcrepantia diſputantium orta, ſciamus de ſupra dicta prouidentia ſtupenda omnipotentis numinis diuini nobis tantum per nubem ſuſpicari licere, quicquam certi de ea, niſi ex poſteriore ſtatuere non eſſe conceſſum: Nam in hoc ſpinoſo & obſcuro pietatis

27 De prouidẽtia Dei quomodo diſſerendum.

articulo ſummopere laborandum, vt enunciata noſtra, non tam ex Stoicorum diſciplina & profanorum ſcriptorum, Senecæ & aliorum monumentis deſumantur, quàm vt ſint πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, ne eueniat nobis, quod S. Hieronymus in Aggæum ſcribit, his verbis: *Gladius Domini percutit illa quæ abſque authoritate & teſtimoniis Scripturarum, quaſi Apoſtolica traditione homines reperiunt & confingunt.* Rectiſſimè Cicero: Homini, inquit, de poteſtate Dei pauca dicẽda ſunt; ac Seneca egregiè Ariſtotelem dixiſſe refert, nũquam nos verecũdiores eſſe debere, quã cum

de

de Deo agitur, cum de Deo etiam vera dicere periculoſum ſit, *Cyprian. in ſymbol. in princip. pag. 477. teſte.* Si hoc Ethnici ſentiebāt, quid nos facere par eſt, qui ampliſſimam de Deo præ illis habemus cognitionem? Si enim templa intrantes, imò ſi principes homines accedentes, vultum ſubmittimus, & in omnis modeſtię argumentum fingimur, quanto magis hoc facere debemus de Dei natura & attributis diſputantes, ne quid temerè, ne quid impudēter, aut ignoranter affirmemus, aut ſcientes cogitemus, inprimis legētes non eſſe malū, quod non fecerit Dominus: Agnoſcamus potius noſtrā miſeriam & calamitatē, & Deū oremus vt nobis miſerrimis creaturis miſericordia ſua ſuccurrere, & quos in vtero matris finxit, conſeruare dignetur.

Deplorarunt eam fluxam, variam, incertam & miſeram mortalium conditionem omnes prudentes quolibet ſeculo, ferè vbique: quamuis diuerſimodè in ſacris & profanis literis: tam ratione priuatarum, quàm publicarum

28 Omni ętate prudentes deploraſſe fluxā mortalium conditionem.

calamitatum & mutationum. *Lipsius Saturn. lib.1. cap.19. Camer. in oper. succis. cap.19.* Profani ad consolandum vtunturfrigidis & bracteatis; Christiani, firmis rationibus: morte his imponi finem hi statuerunt, cum nihil mali à nobis nisi morbum & crimina auferat, pacem, fidem, transquillitatem, stabilem, firmam & perpetuam securitatem adferat, illi summam omnium & epitomen existimet calamitatum turpiter: cum in hac vita, Cypriano autore, in *lib. 2. de mortalitate, pag. 270.* nobis cum auaritia, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio sit, cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua molesta luctatio; si auaritia prostrata est, exsurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam, amicitiam zelus abscindit. Magna quidem poena, sed nobis Christianis magno animo ferenda, familiarum & liberorum felicem statum rarissimè vltra tri-

29 Liberorum statum raro vltra trinepotes felicem durare.

ne-

nepotes durare, quod opinatur *Peucerus: de diuinat. gener. pag. 35.* Rationem ignorant philosophi Ethnici, qua percepta acquiescimus Christiani, nostrisque potius immortalitatem illã, quã caducã vitã optamus. Rationẽ assignamus huius calamitatis hanc: Quo diuturni- 30
or familia, eò peior; quam innuit poëta grauissimus *Nathan Chytræus*, vbi canit:

Eiusque ratio.

---si gens est ampla vetusque,
Multa etiam scelera & clades sectantur eandem:
Filius à patre degenerat, nec fama nepotũ
Æquat auos, regnãt cædes, occulta venena,
Insidiæ ac stupra.----

Turpissimè igitur illi errarunt, qui 31
in procreatione sobolis, qua diuturnitatis memoriam conseruari dicebat I. C. *in l. liberorum, 220. de verb. sig.* ac in aliis æternitatem quęsiuerunt. Sic blasphema voce temporalem vrbem Romã *æternabilẽ* dixêre in *l. 3. C. Theod. De cõd. donat.* & æternabilẽ domum, *l. 5. C. eodem.* Constantipolin *æternã* vocarũt, ridiculè; *Nouell. 3. de præd. ciuit.* In ea .n. opinione fuerunt Romani, imperiũ nunquam

Turpis error eorum qui res temporales *æternas* vocarũt.

Magna imperia mortalia.

desiturũ: hinc illud Maronis: *Imperium sine fine dedi*; contra quam *Liu. lib. 2. Deca. 1.* credidit, inquiẽs: Id vnum venenum, eamque labem ciuitatibus opulẽtis repertam, vt magna imperia mortalia essent.

32 Adulatores diuinitatẽ attribuere principib. Similis vel maior impietas adulatorum aulicorum, qui principibus viris vultum diuinum, æternales vultus, diuinum splendorem, perpetuitatem, æternitatem attribuerunt, & rescripta imperatorum diuinas constitutiones, *diuina oracula* nominarunt, quos ridet & notat *P. Mornæus Plessæus de veritate religionis, cap. 22. pag. 48. Petrus Gregorius De Repub. cap. 2. & 3. lib. 5. & Franciscus Iuretus ad lib. 4. epist. Symmachi epist. 54.*

Reges homines, non Deos esse. Hi si quicquam æternitatis & potestatis habuissent, vtiq; sua & suorum regna seruassent, inquit *Cyprianus de idolorum Vanitate pag. 262.* Vbi probat, quod reges homines, non dii fuerint.

Chartas nõ æternas. Poëtæ, turpiter errantes, prædictos secuti sunt, æternitatem in chartis quærentes:

Eripiunt quemuis à mortis dente Camenæ.
Nulla dies vnquã memori nos eximet æuo.

Flacc. *Exegi monumentum ære perennius:* allu-

alludens ad æris naturam, putrefactioni non obnoxii, & alias res à putrefactione seruantis, *Camer. in oper. succis. cap. 14.* Nec literis mortē negatam putat Syluius in Hist. de Asia minore, epist. 71. pag. 352. Saniores quidem confessi sunt etiā principes mortales, at æquè aberrarunt, asserentes Respub. æternas esse, *Tacitus li. 3. annal.* Discamus itaq; omnia in mundo perire, etiam regna interire: si enim continua esset regnorum stabilitas, euanesceret omnis Dei & ꝓuidentiæ notitia, & prosperæ fortunæ dulcedo inebriaret mortales, vt superbia turgentes & diffluētes luxuria in æternum damnarentur. 33 Respub. nō æternas.

Et quamuis, vt supra dixi, mutationum & miseriarū causa sint nostra peccata & Diabolus omnium confusionū, vastationum & euersionum author, & illud quod dicitur, Deū trāsferre regna, *Peucerus de diuin. gen. pag. 155.* voluit accipiendum de legitima & ordinaria trāslatione immediatè vel mediatè facta; tamen quoquo modo & in quamcunq; factā, Deo volēte, gubernanteq; ex ve- 34 Calamitates publicas priuatis præferēdas.

ritate sacræ Scripturæ fateri cogimur, fieri. Cũ omnis potestas à Deo sit, *Paulus in Epist. ad Rom. c. 13. Gorruc. de prouidẽt. lib. 12. cap. 6. Prouerb. 28. Iob. 34. Vasq. cap. 21. illust. quæstion. num. 10.* Nobis enim forsan illegitima videtur translatio, quæ Domino probatur: Sic Deus, turbato regno Balthasaro Rege Babylonis transtulit regnum in Dariũ fato, id est, vi & potestate, qua Deus omnia agit, vel potius supplicio & pœna, qua iniustas actiones punit: Sicque videmus sceptrũ ire è sordibus; ex eoque sordes: Sic Monarchia à Persis ad Græcos translata: sic ad alias gentes imperia & regna. Quis negaret imperium Orientale & vrbem splendidissimam anno 1453. à conditione 1130. vel circiter, vt voluit *Æneas Syluius, lib. 1. epist. 155. pag. 704.* vel ex supputatione *Bucholtzeri* veriore, cum stetisset 1122. 29. Maii, Constantinopolim in Turcam translatam, legitimè vnà cum 12. regnis & 200 vrbibus. Qua enim arte acquisierãt Palæologi, eâdem amiserunt: Sicuti enim res oriuntur, sic aboriri oportet, *Bodinus de Repub. lib. 4. c. 2.*

15 Translationem regnorũ Deo semper legitimam.

Vene-

Venetis eadem facilitate ablatũ est regnum Cypri, qua aliis abripuerant astutè; quamuis cõsentientibus: Iacobo enim Rege mortuo Æcornara prægnãte coniuge relicta, postumoque extincto, Veneti viduæ persuadebant vt regno cederet, annuoque reditu aliquot millium zechinorum, contenta solutione ipsis Regnum cõcederet illa, quod in patriam salutem approbauit. Translatio hodierna nobis neque iusta, neque legitima videtur, respectu Dei est iustissima, propter Græcorum mores, vitam, perfidiam, desidiam, auaritiam, *Poggius libr. 1. De mis. humanæ condit. in principio*; cum etiam pro vero Deo, Deos libidinosos, homicidas, adulteros coluerint, Iustino Martyre referente in oratione ad Græcos: iustissima translatio; Quia Moyses inquit *lib. 5. capite nono*, propter improbitates suas istæ deletę sunt gentes & nationes. Nam imperia, vt & Romanum initium habuit à violentia, non iustitia; diuina permissione propter bonũ commune & vitiũ violẽtiæ purgatũ fuit per

36 Regnũ Cypri iustè Venetis ablatum.

longissimum consensum & dissensus transiuit in cõsensum. *arg. l. 2. & 4. Quod metus causa.* eleganter Albericus in *l. cunctos, num. 11. C. De sum. trinit. & fid. Cathol.*

37 Mundum non æternũ fore.

Quod vel Arrianus Nicomediensis intelligebat *lib. 2. pag. 34.* scribens oportere Asiæ imperium Persis à Macedonibus adimi, quemadmodũ Persæ Medis, vt prius Medi Assyriis ademerunt.

Hæc verò nobis sunt documento, vt certò statuamus, omnia quæ magna in mundo censentur, caduca, vana, fluxa esse, & maiori studio summum bonum admiremur & agnoscamus ex tristissimis imperiorum mutationibus ac ruinis Deum solum autorem, custodem & dispensatorem regnorum & Ecclesiæ ac scelerum inspectorem & vindicem iustum esse; & denique credamus mundum hunc non æternum fore, sed finem habiturum. *Morn. Pless. De veritate rellig. capite 11.* Certo enim & præfinito die vel diei momento, mundum & homines mortuos ac viuos Regem regum iudicaturum & terrestria

regna

regna euersurum, & magnum illum Samsonem Philistarum domum delitiarum diruturum sacræ literæ ostendunt, *1. Pet. 3. Actor. 2. 1 Corinth. 15. Daniel. 2. Iosuæ 5. 6.* vt potestate & magistratu omni abrogato ducat Christus electos in terram promissam, iisq; exhibeat fructus vitæ æternæ.

Hæc itaque misera mortalium conditio exigere videtur, quantum in hac prudentiæ perpetuis præceptis non circumdatæ fragilitate anteuertendo & auertendo fieri potest, vt quantum in nostris est viribus, eiusmodi mutationibus & conuersionibus, maturo consilio occurramus; turbata prudenter disponamus; impendentia cautè auertamus; inuecta paulatim corrigamus; aduersariorum potentiam viriliter frangamus. 38 **Cautio humana.**

Licèt verò in tot humanis erroribus infinitæ sint conuersionum caussæ, quæ nec Europæ, nec Asiæ, nec Africæ, nec Americæ limitibus contineri queant, mortalium in moribus luxuries, auaritia, superbia, amor & admira- 39 **Infinitas mutationũ esse caussas.**

tio sui, fiducia ingens virium humanarum, cupiditas regnandi & dominatio, contemptus pacis & belli, *Liuius lib. 8. Decad. 4. Polyb. lib. 6. Xenoph. lib. 8. De pædia Cyri, Polyb. lib. 3. idem lib. 5. Thucyd. lib. 3. Polyb. lib. 2.* latè *Danæus lib. 3. de Polit. pag. 251. vsque ad finem, P. Gregorius lib. 22. De Republ. cap. 6. & seqq.* Et, vt vnico verbo dicam, impietas vt vix remedia contra has pestes Rerumpubl. inueniantur & ad remorandum consilia diuina sint irriti conatus humani, vrgentibusque Rempubl. satis Dei & hominum salutares spernantur admonitiones, *Liuius libr. 5. Decad. 5.* Deusque nec dicta, nec ficta fœdera moretur.

40 Non esse in hominis potestate positum auertere qđ futurũ est.

--- Nam numine læso

Iratoque Deo nec prosunt pacta, nec arces.

Nec vlla virtus meruerit, ex Ammiani Marcell. sententia *libr. 23.* vt quod præscripsit fatalis ordo non fiat, ac sortem fato destinatam defugere, Deo quoque impossibile Ethnici dixerint. *Herod. libr. 1. num. 17.* nec sit in hominis natura situm auertere quod euentu-

rum

rum erat, *Herodot. libr. 1. num. 82.* Quod enim decretum diuinitus, omnino necesse est fieri, nec vllo auerti cauerive remedio potest, vt de captiuitate Baiazeti *Lewenclauius noster libr. 7. histor. Muselm. pag. 361. & pag. 364.* loquitur: Quemadmodum enim tẽpestates sæpissimè vincunt optimi gubernatoris nauis artem & industriam; sic diuina voluntas & humani casus prudentiam & prouidentiam mortalium omnium: Tamen bella, thesauri, opes, coniunctiones principum prudentum, & fœdera licita ad bonum finem inita, sunt quasi arietes, quibus prauæ actiones, consilia callida & conatus nefarii improborum aduersariorum destruuntur, euertuntur, & in nihilum rediguntur: fœdera enim vera & legitima, sine exitu conuellentium conuelli vix possunt. *Cels. Mancinus lib. 6. capite 13. pag. 238. de iure princip.* Si enim discordiâ dissoluuntur regna, concordiâ, fœderibus & pactis mutuis conseruari debebãt. Fœderibus tamẽ stabilem & firmã Remp. in æternũ retineri

41 Dei voluntas vincit prudẽtiam mortaliũ.

42 Fœdera arietes.

43 Fœderibus ſemper non retineri firmam Rempub.

non aſſero. Etenim dominandi cupiditatem iuris legumque neſciam & religionis qualiscunque prætextum ad volgi inprimis concitandos, inflammandosque animos, accommodatiſſimum, adhuc accuſamus ſcapham ſcapham, ligonem ligonẽ appellantes: libera ſint legentium, ſint etiam ſcribentium iudicia.

44 Dominãdi ardorẽ maiorem in Sacerdotibus priuatis, quã Laicis.

Maiorem eſſe dominandi ardorem, qui fomes eſt bellorum & diſceptationum omnium in iis, qui verbum pacis proponunt *Laicis*, quam aliis ſecularibus, vt loquuntur, mirandum & deplorandum: Loquitur Germania, loquitur Gallia, imò pars mundi America, me etiam tacente: Italia hiſcere non audet: Summæ rei prefecti buccinas arte iam volgata adhibent, vel ſimplicitate circumuenti vel calliditate ducti & ad ſummum tendentes, loco militum, religioſos prædicatores, videlicet qui fictis criminibus, famoſis libellis, comœdiis, mẽdaciis, calumniis plus efficiunt quam ingens exercitus, thoracibus, armis & gladiis ac linguæ

ma-

maledicentia talia in hostem euomunt & effutiũt, vt volgus dictis commotum iã magna auiditate cupiat aggredi sanguine profuso eum, in quem summus sacerdos in qualibet secta detestãda crimina boauit; quod etiam deplorat *Petrus Gregorius De rep. lib. 13. cap. 14. num. 17. Et Erasmus Vitellius Episcopus Plocensis* in oratione quam habuit nomine Regis Poloniæ Sigismundi in Augustano cõuentu, anno 1518. Hinc lis & omnium malorum Lerna in vitam mortalium introducitur, Christi doctrina, quãprofitentur, quam defendunt, quam prætendunt aliud docente, aliud iubente; quod denotat Ethnicus poëta:

Tantum Relligio potuit suadere malorum
Quot sæpius olim,
Relligio peperit scelerosa atq; impia facta.

Imò hæ incendiariæ aues conantur specie relligionis persuadere & inculcare simplicioribus, licere subditis se à iurisdictione ordinarii magistratus eximere; &, quod plus est, non obstãte homagio & iureiurando, suos reges ac dominos interficere, eosque sceleribus ac 45 Velum relligionis.

parricidiis in præmium obedientiæ religiosæ æternam vitam mereri. Exempla habemus luctuosa vetera & noua, in Arrianis & omnis generis sacerdotibus, admodum quidem recentia in Rege Gallorum Henrico III. à Dominicano sacrificulo, ex insidiis, scelerata audacia, icto, vt valdè, facinus qui probant eleganter loquuntur, de cælo dato, cæsoque; vt alia notissima in Anglia & alibi omittantur, de iis qui pietatis signum & zeli veri indicium existimarunt, mortuis & viuis magistratibus maledicere. Plane contra decreta *Synodi Gangrensis, can. 3.* qui extat in *Decret. Gratiani, c. si quis, 17. quæst. 3.* vbi ita statuitur: Si quis docet seruum pietatis prætextu contemnere, & à ministerio recedere, & non cum beneuolentia & omni honore domino suo inseruire, sit anathema. Sed quid non sub prætextu relligionis tentamus! vt eleganter notat Henricus Stephanus.

Dum capiti Henricus raso fiditque cucullæ;

Indigna

Indigna & turpi cæde peremtus obit.
Huius ab exemplo Regis, iam discite Reges
Quantum larua scelus relligiosa tegat.

Fit ergò iam tralatitium & Machiauelli dogmati affine, *Satius esse prætextu sanctitatis, pietatis & relligionis potius per tales buccinatores, quam exercitum, regnum adquirere, retinere & conseruare:* Quod theorema eò facilius obtinebit, vigebit & florebit apud gubernandi cupidos, quo erunt indoctiores, improbiores & simpliciores principes: tales enim falsa veræ relligionis specie decepti, magno conatu & impetu decreta sacerdotum executioni, finem non probè considerantes, committent, subditos affligent, expellent, mulctabunt carcere, exiliis, neque accusatos neque auditos, & eo tutius, si maxima pars subditorum placita relligiosorum, vt fieri assolet, approbarit; facilius, inquam, simplices subscribent sacerdotibus, tum etiam astuti hinc commodum sentientes, cum hi relligionem non magnopere curent, illi non intelli-

46 Dogma Machiauellicũ.

gant. Toto enim cælo aberrant, qui nimis ineptè arbitrantur Principem etiam literis nō imbutum, posse falsa religionis dogmata à veris discernere & politica negotia prudenter, dextrè & feliciter tractare. In aliis negotiis etiam indoctis aliquid tribuimus, cum ineruditi ingeniosiores vulgo in plerisque habeantur, cuius rei rationem reddit *Quintilianus lib.2.inst.cap.13*. Quod vero scribit *Thucyd.lib.3.* rudiores homines melius regere suas Respub. ac astuti, qui volunt videri sapientiores legibus & vincere ea, quæ ab aliis dicuntur, id accepimus eo in casu, quando negotia exorta legibus istis definiri possunt, vt plurimum ciuilia, non etiam de iis, quæ arcana Reip. concernunt, decisionem legum iudicialium non admittentia; nec de causa relligionis, nisi regulę Monachorum voluerimus subscribere. Cum itaque conatus aduersariorum vti dixi, vt plurimum frangatur bello & fœderibus, & tempore pacis semper de bello antequam inferatur vel suscipiatur sit cogitandum, necessario, & quidem

47 Indocti an bene regāt.

48 ICtos raro ius publicū, vt plurimum priuatum tractare.

dem ita, vt in promptu habeamus thesaurum, consilium, amicos, presidia, exercitum, viros fortes, munitiones, victualia, ac media quibus voluntaria tributa exigamus à subditis, ac vniuersus orbis terrarum bello ardeat; ego sæpius de ciuilis prudentiæ statu ac conditione differens, deploraui seriò, sed sero cum Isocrate in *oratione De pace*, optimorum virorum operam tantum nummorum colligendorum causa nos positam videre in eo, vt publicis, & quidem in hoc articulo neglectis tradant, ac tractent exactè vt plurimùm materiam iudiciorum, cõtractuum, obligationum, iura connubiorum, dotium, tutelarum, testamentorum, successionum, actionum, delictorum, pœnarum, etiam stillicidiorum & cloacarum, de oleo & tritico legato, glandeque legenda, disputent, & nõ tantùm tractent, quod semper honorificum fuit, sed etiam in foro priuatis vendant, huius lucrosæ & sanguinantis Iurisp. vsum malis moribus natum & deprauatum, de articulis religionis controuersis, de officiò politi-

49 corum in iis componendis, de comitiis Imperii, Deputatorum & circulorum Cõuentu, Regibus creandis, constitutionibus faciẽdis, contributionib. colligendis, de visitatione iudicii supremi instituenda, de imperii potestate, de insignibus, de interregno, de Principibus, Comitibus, ciuitatibus, iureq; omniũ ordinum, de cẽsu, edictis, de belli indicendi conscribẽdive exercitus more & iure, de castrorum positu, de armis & signis militaribus, de militibus, de exercitu, de stipẽdiis rectè & iustè soluẽdis, de solutione non committenda Capitaneis, de disciplina militari, de missione, de trophæis, de triumphis, de pacis conditionibus, de fœderibus, de moribus, natura, potentia & impotentia vniuscuiusque Principis, fere neminem, vel admodum paucos, & hæc pars prudentiæ de fœderibus eruditissimo Bodino testante, nec à I. C^tis, nec politicis, ad quos cura hæc inprimis pertinebat, sit pertractata; cum tamen nulla in re grauius ac in fœderibus ineundis aut repudiandis periclitemur, & ante ali-

Politica capita seu partes.

aliquot annos actum de fœdere cū Polonis & iam cum Persis peragendo agatur; decreui materiam fœderum perspicuè tractandam, & summo tamen, quod aiunt digito explicandam suscipere. Itali ferè soli in publico iure illustrando triumphare conātur, Machiauellus, Guicciardinus, Sansouinus, Lōdinus, Annibal Scotus, Boterus, Speron de Speroni, Frachetta, Ayala, Ammiratus, Castellanus, Gentilis, Bartholomęus Philippus, & alii: veruntamen nullū reperio, qui Cęsarē, Salustiū, Suetoniū, Tacitum, Vegetium cum Platone, Aristotele, Xenophonte, Thucydide, Plutarcho, Homero, Polybio, Arriano, Dione, Themistio, & aliis Græcis Latinisque, Plinio, Liuio, Quintiliano, Iustino, Lucano, Iosepho, Valerio Maximo, cuius tamen libros ad nos non peruenisse, vel mirificè interpolatos putat Xilander, Appiano, Dionysio Siculo, Paterculo, Probo probè coniunxerit, vim doctrinarum enucliarit, in ordinem redegerit, Reipubl. nostræ accommodarit.

50 Italos illustrare publicum ius.

51 Scriptores non probè conferre antiquos.

Cum verò admodum angusta sit nostri ingenii, scientiæ & cognitionis vena, nisi aliorū traditionibus, veluti multiplici lucernarum appositione iuuetur; idcirco cogor nonnunquam aliorum expositionib. & opinionibus, quibus regitur mundus, Principesque in eo, docti indoctiq; promiscuè, vti. Plagiariumne inde voces me? minime: Si quis enim ob id me criminari voluerit, oportet is in omni genere disciplinarū præstantissimos commentatores, interpretes, consilia, decisiones, quæstiones congerentes, repetundarum accuset, quod in suum vsum aliena transtulerint: Non ipse Plato, non Aristoteles, non Homerus, non Herodotus, non Virgilius, non Plautus, non Terentius, non M. Tullius, non Varro, non Gellius, non Plinius, non Bartolus, non Iason, non Zasius, non Tiraquellus, non Chassan. non Simon de Prætis, non Cuiacius, Martini, non Donellus, Ioannis, antiquorum Glossatorum interpretationes, refricantes in tuto erunt, non infiniti alii, Physici, Ethici, Historici,

52 Hodie in literis ferè neminem plagiarium.

rici,

rici, Theologi & alii: Sic Stoicos non vnam partem philoſophiæ, ſed totam à Peripateticis tranſtuliſſe atque ſigna commutâſſe refert ex Cicerone *Victorius libr. 7. variarum lect. capite 7. Laertius lib. 7. Volaterran. lib. 14. capite ſecundo.* Inuidiam effugere non potero vix maledicentium. Pythagoram reducas, habebit inuidos; redeat Plato in mundum, renaſcatur Homerus, reuiuiſcat magnus Ariſtoteles, reuertatur Varro doctiſſimus, reſurgat Liuius facundiſſimus, reſurgant omnes Iuriscõſulti Romani eorũq; interpretes, tàm barbari quã politi; refloreſcat Cicero, Demoſthenes, noſtroq; ſeculo Camerarius, Melãthon, Ramus, Scaliger, Weſenbecius, & quot vixerũt eruditi & erũt qui dicẽt: omnes fuiſſe raptores alienarum inuentionum: Nec mirum, cum Celſus *Origin. lib. 6.* referente, extrema impietate ac blaſphemia impia Chriſtum æternum fontem ſcientiarum & ipſam ſcientiam accuſarit repetundarũ; quod videlicet, dictum Platonis corruperit; Qui probus eſt, is non poteſt eſſe di-

Omnes ſcriptores accuſari plagii.

Celſi impietas.

53 Chriſtum repetundarum impiè accuſatum.

ues. *Matth.19. verſ.23.* Quid non mihi? Vnum defenſorem pro omnibus adduco Quinctilianum, qui volt apes nobis eſſe imitandas, quæ diutius vagantur per ſyluas, per montes, vt flores carpant, deinde quicquid attulerunt, diſponãt, fauisque ſuis inferant, ſuccumque varium proprii oris ſpiritu in dulciſſimum illum, nulli ſimilem, mellis ſaporem conuertant. Ego etiam nullum auctorem reuoluo, qui propria & ab aliis non æquè cogitata adducat & proponat; aliquid video mutatum in dictione, in ordine, in re ipſa parum; ſed ita comparatum video, vt vnus alium reprehendat, & tamen imitetur, *P. Gregorius lib. 16. De Rep. c. 8.* Nos omnibus vnum in locũ coactis ſcriptoribus, imò nominib. adiectis, quod quisq; cõmodiſſimè præcipere videbatur, excerpſimus, & ex variis ingeniis excellentiſſima queq; libauimus, quod non eſt furari, *Marc. Tull. 2. de inuẽtione:* & multis probat *Martinus Monterus in præfation. Decision. num. 43. & Iohan. Petrus Surdus conſ. 300. num. 20. volum. 2.* Habeant iam libri

54 Mutuum in literis quomodo excuſetur.

Pleroſque reprehẽdere alios & tamen imitari.

55 Tractatu hoc nihil humile, nihil ſordidi contineri.

librinostri aliq̄d nõ humile, nõ sordidũ, nõ puerile, nec priuatis reb. inclusum, vt Plinius de suis gloriatur epistolis: Licèt mihi in manib. sint paratissimi iuris ciuilis Cõmentarii, publicè in magna studiosorum frequentia ꝓpositi, multis præiudiciis, quibus per decenniũ interfui, ornati, tamen eos nõ nisi benè enucleatos auctosq; typis diuolgabo.

Materia hæc nobilissima & grauissima talis est, qua ii meritò vtuntur, qui gloriæ sedem in terra constituunt, regnaque sectantur, & fines finibus augent, & magnos honores gerunt, qui exercent imperia defendendæ regionis & relligionis gratia, qui opes cupiunt, qui bella instaurant, mutuisque cædibus laxiorem faciunt terram, vt in simili *Plinius libr. 2. natur. histor.* loquitur. Scribere ac dicere constitui non de priuatis contractibus, sed de talibus & tantis rebus, vt de iisdem nemo alius quicquam plenè conatus sit. Illustris ergò hæc materia, vt & illustres vocantur, quæ pro fœderibus faciendis & pace firmanda suf-

56 Materiã fœderis nobilissimam.

57 Legatos pro fœderibus illustres esse.

cipiuntur legationes, Carolo Paſchalio obſeruante, *De legation. cap. 56. pag. 342. 355. cap. 54. pag. 338.* ad quos legatos eligendos conſilium in publico haberi debet *Bart. & Dd. in l. 5. l. 6. Cod. de legat. lib. 10. Petrus Poncetus De iur. municipali, pag. 221.* Illuſtris etiam & maxima laus eorum qui non ad volgarem humilemque artem, ſed ad hanc nobilem actuoſamque doctrinam ſua cõferunt ſtudia, & qui hærent in ea cognoſcenda, ita vt auelli nulla ratione queant. Via enim fœderum ad potentiam, ad res gerendas, ad res componendas tranſigendasque valida, rectè inita, ſociis electis, qui animo, opibus, milite & ſcientia militari valeant, & in proximo habitent, ad bellum iniuſtè illatum, repellendum, vel conſilio & arte impediendum, multum Reipub. cõducit. Satius enim eſt vt vicini potentes conſentiant, quam vt in contraria ſtudia & conſilia diſcurrant: ſatius eſt, inquã, cum omnibus vicinis fœdera iungere, quam bellum in ditionem trahere, non ſocius nec belli, nec fœderis:

58 Illuſtrẽ laudem mereri materiã fœderis tractãtes.

59 Viam fœderum eſſe validam inter conſentientes vicinos.

Ra-

Raró enim illis, qui nec huic nec alteri vicino adhærere & astipulari voluerunt, quies & pax fructuosa relicta, nec vnquam debita gratia est reddita.

59 Concordia.

Concordiã, (cui semper studendum *Demosth. epist. 1.*) qui amãt, ii cum vicino & pacem & bellum ferre coguntur, fœdera commodè, iustè & tutò repudiare non poterunt: Prudentes namque vnanimiter tradiderunt, laborandum, ne Reges & alii Principes in vicinorum regionem quacunq; etiam prętensa iustitia & robore per vim irrumpant, regni cupiditate adducti, suos fines in vicinas regiones propagent: Quod si contra factum fuerit, cuius ope melius ac vicini auxilio auertere tale facinus poteris? Probarunt hoc Romani pro Mamertinis, contra Carthaginenses; pro Hispanis, contra Afros: probarunt Veneti sæpius in armis subministrandis & pecunia infirmioribus vicinis, potentiorum immoderatum ambitionis impetum frangentes. Qui contrarium sentiunt, scribunt vel suadent, metu perterriti, ignauia

60 Exterorum excursiones in vicinas regiones non ferendas.

fracti, ocii & opum suauitate illecti, aliis contentionibus implicati, videbunt consecuturum vt aliorũ ambitiosa imperia, quæ per socordiã passi sunt, ꝓpagari, ferre cogantur. Coniungant itaq; omnes Germani vires tẽpestiuè, & cõiunctis viribus & manu resistãt Turcicis irruptionibus, nullo respectu relligionis habito. Aduersus enim consentientes, vt rectè Liuius, quo authore libenter in hac materia vtor, scriptum reliquit, nec Rex quisquam satis validus est, nec Tyrannus; discordia vero & seditio omnia opportuna insidiãtibus faciunt; vbi enim perpetua concordia, ibi crescit imperium, *Liuius libr. 5. Decad. 1.* quod exemplis illustrat prudenter & eleganter *Dominus della Noue, Discur. 2. politico:* probat *Iouius lib. 27.* Concordia enim est radix, altrixque ocii, seminarium bonorum ciuium, seges virtutum, & illud bonum, sine quo nemo nouit sua bona. *Paschalius De legation. pag. 339. capite 53.* Discordia vero est ordinum venenum, huius vrbis, inquit *Liuius lib. 3.* patrum & plebis certamina

61 Cõcordiam omniũ bonorum bonum.

& præ-

& præcurſor ruinæ, *Comin. cap. 27.* Si e- 62
nim confœderatis, Cęſari & Germanię
Principibus, tam Eccleſiaſticis quàm
laicis hæc ſtet ſententia, quod fœderis
cõiunctionem ſanctiſſimam, honeſtiſ-
ſimam, vtiliſſimã, nullis deterriti peri-
clis ſeruaturi ſint, vanis aliorũ alterca-
tionibus omiſſis, nihil ab exteris, quo-
modocũq; fremãt, pertimeſcendũ eſt:
Sint itaq; cõfœderati ſocii tàm animis
& voluntate, quàm apparatu & viribus
pares, vt *Thucyd. lib. 3. in oratione Mityl.* lo-
quitur.

Cæſari & Principibus Germanis nullam potentiam obſtarę cõiunctis.

Scylurus, vti habet notiſſima hiſto- 63
ria, cũ eſſet moriturus, LXXX. liberis
maſculis faſciculum iaculorũ ſingulis
porrexit, iuſſitq; rũpere; id cum ſinguli
recuſaſſent, ipſe ſingula iacula exemit
atque absque difficultate confregit o-
mnia, adiiciens hanc adhortationem:
*Si concordes eritis, validi inuictique manebi-
tis; contra, ſi diſſidiis diſtrahemini, imbecilles
& expugnatu faciles.*

Coniunctos faſces nemini nem facilę frangere.

Coniunctos faſces frangere nemo poteſt.
Eraſmus Roterod. apoph. libr. 5.
Hãc vocẽ omnes Principes & fœdera

64 concernere arbitror: hi enim sine euidenti dispendio, fœdera negligere non possunt, inprimis impotentes, cũ potẽtiorum armis sint expositi. Nec vero id adeo primum ortum est à nobis, inquit *Thucyd. in oration. Athen. contra Lacedæm.* sed ita semper comparatum fuit vt potentior imbecilliorem coërceat: Aristoteles etiam prudenter: quod est potentius, natura dominatur imbecilliori, τὸ ἰσχυρὸν βίᾳ ἀνείτω ἀσθενὰς, quod „ ex Pindaro citat Plato: & eleganter „ *Demosthenes in oratione De Rhodiorum* „ *libert.* Qui rerum potiuntur imbecillioribus interpretantur ius ac definiunt: Et antiquum habet emblema, MINOR ESCA MAIORIS. Nam vi aliquid tentare, inquit *Dio lib. 52. in Cæsare, pag. 465.* etsi id cum iniuria alio- „ rum coniunctum est, tamen humanæ „ naturæ cõueniens quodãmodo existi- „ matur. Qui enim aliis quapiã in re prę- „ stat, iis plus habere se æquũ iudicat, idq; „ si consequatur fortunæ, potẽtię; sin mi- „ nus, Fati legib. asscribitur: ac rursus im- „ becilliores nõ libẽter patiũtur vt ęquales

Impotẽtes pcliues esse debere ad ineũda fœdera.

65 Antiquissimam legem minorem escam maioris.

les fiāt potētiores : Non enim eſt quic- "
quam rerum omnium, quod magis ſit "
cauendum, quam ne maiorem fieri pa- "
tiamur, *Demoſth. in orat. De falſa legat.* Et licèt ex ſententia Iſocratis, non iuſtum "
ſit vt potentiores imbecillioribus do- "
minentur, *in oratione pro Pace*: tamē Bremius interrogantibus Romanorum legatis, quo pacto Cluſium Hetruriæ vrbem obſideret, *Iure*, inquit, *naturali hoc* "
facio: quo is qui minus fortis ſit, potentiori ce- "
dere iubeatur: & Ariſtides, vt dixi, in oratione quam ad Rhodos habuit: *Lex*, in- "
quit, *eſt naturæ, à potentioribus planè clarior* "
facta, vt maioribus minores pareant. Alc. lib. 2. Parad. cap. 21. Et hanc legem dicebant "
illi vti accepimus, ita in perpetuum po- "
ſteris relicturi ſumus: Quæ potentia ex "
ſententia Cæſaris, quam refert *Dio lib. 42. pag. 207.* quæritur & conſeruatur pręcipuè duobus modis, milite & pecunia: has duas res pręḍicabat quibus rebus & pararentur & conſeruarentur & augerentur imperia, milites & pecunias: & alterutro deficiente, reliquum ſimul concidere: vnde rectiſſimè Mutianus,

66 Potentiam adquiri & conſeruari milite & pecunia.

Pecuniam neruum rerum gerendarum esse. *pecunias neruos esse principatus* : Quare Vespasiano pecuniæ vndequaque conficiendæ autor erat: *Dio in Vespasiano lib. 66. pag. 746. Farnesius lib. 3. de simulacro Reipub. cap. 6.* cum pecunia nauta sit in hoc mundo;

Vita hominũ est pelagus; Regina pecunia, Nauta:
Nauigat infelix qui caret huius ope.

Interim minimè negamus sapientiæ studio, profusione, blãditia, adulatione, iustitię simulatione, suffragiis, minis, religionis specie, quãdoq; imperia adquiri & cõseruari, quod multis demonstrat *Zwingerus volum. 7. lib. quinto, pag. 1999. 2000 cum seqq.* quibus etiam ostendit potẽtiam & imperia astutè cæde, & interitu aduersariorum, depressione maiorum, nobilium, ingenuorum cõfirmari, conseruari & ampliari, & alios imperio, regno & potentia priuari, *d. lib. 5. pag. 2006.* Verum nos loquimur de mediis potentiæ conseruandæ vel adquirendæ, honestis & viris fortibus vsitatis. Sed ad rem. Quamuis etiam potẽtum amicitia multis modis sit suspecta, &

Quibus mediis adquirantur imperia.

67 Potẽtum & impotentũ coniunctionem in Germania non periculosã.

Deo

Deo volente facile infringatur tã Principum quam ciuitatum potẽtia, vti Ioannes Basilius Moschorum Tyrannus celebris, sui iuris effecerit Nouoguardiã potentissimam Metropolin Russiæ, de qua ciues olim: Quis potest contra Deum & Nouoguardiã? *Crãc.lib.13. Wand. cap.15.* tamen in Germania coniunctio minorum cum maioribus sine periculo fieri potest: cum æquè cõstitutione publica teneãtur tàm Ecclesiastici, quam seculares.

68 Neminem contra Deũ & Nouoguardiã posse pugnare.

Fœderibus dixi studendum, quibus venenum Rebuspub. paratũ extinguatur: omnem enim calamitatem superare veteres dicebant, nolle morbum & mortem ferre, nolle etiam remedium quærere ac adhibere: cum confœderatio eius sit potentię vt Reip. vitæ prorogationẽ tribuat, & de duob. vnũ faciat, ad mutuã defensionem contra hostes: *Hieronym. Gigas De crimin, læsæ Maiestatis, Quæstion.21. Tit. De rebell. pag.406.* & duo corpora quasi vno spiritu coniungat *Schraderus De feud. par.9. cap.4. num.9.*

69 Fœdera de duobus vnum facere.

pag.342. inprimis ſi confœderati eadem politiæ forma vtantur, *Thucydid. libr. 5.* Summa, certa ratio. *Schraderus De feud. part.10.ſection. 7.nu.27.* Sed quotus quisque eſt ex Principibus, qui de his & aliis Reipub. negotiis publicis maturè

70 Principes rarò cogitare de publicis negotiis.

cogitet & ſimul prudẽter, imo tempeſtiuè ſuadenti obtemperet: plerique vino, venationibus & aliis voluptatibus obruti, *Camerarius lib.2.epiſt.poſt.pag.148.* & impediti bonam mentem in extremo conſtituti periculo, ab aliis mendicare coguntur: & quis cum talibus fœdus & ſocietatem iniret? Ego verò miror cum Iſocrate in Panegyr. quomodo principes ſibi ſuperbiendum cenſeant, ſi nihil vnquam tantis de rebus neque

71 Cũ aleatoribus paciſci fœdus ignominioſum.

dicere, neque cogitare velint. Cobilonem aiunt quẽdam Lacedęmoniorum, cum fœderis pangendi cauſa miſſus eſſet legatus ad Regem Perſarum, & aulicos forte inueniſſet ludentes alea, ſtatim diſceſſiſſe, & re infecta veniſſe domum: rogatum verò cur ea neglexiſſet facere, quæ publicè in mandatis accęperat; reſpondiſſe, *Quod ignominioſum*

exi-

existimasset, id fore Reipub. si fœdus cum aleatoribus percussisset.

Alexander Magnus deuicti Darii tẽtorium ingressus, visis apparatibus magnificẽtissimis, exclamabat: *Quid? num hoc est regnare?* Sic hodie cõspectis multorum Principum aulis, inuẽtionibus, vt fandi mos est, venationibus & deliciis, si liceret, quærẽdum: Estne hoc de pace & bello cogitare? Estne hoc subditis posteris & imperio viriliter prospicere? Estne hoc exacta tributa benè collocare? Estne hoc publicæ saluti cõsulere? Estne hoc factis & operibus veritatem relligionis vi, & metu introductæ, exprimere & probare? Turpius, si rusticus more apud nonnullos vsitato & recepto, quæreret, Princepsné iudex est? de patriæ salute sollicitus? dignus imperandi honore? relligionis cultor? *Æneas Syluius in lib. De descript. Europæ, Bodinus De repub. lib. 1. cap. 8.* & epithetis à Iulio Polluce selectis ornatus; tales interrogationes, his morib. reuocari nequeunt, cum etiam scriptione nuda admoneri non velint: Non itaque est tutum

72 Voluptatibus indulgere non est regnare.

73 Mos interrogandi apud maiores.

74 Non tutum contra Principes scribere.

in tales nominatim scribere, qui possunt proscribere, vt ait Asinius Pollio, in Cæsarem Augustum iocans; & omnis hæc seueritas ingrata, recessit ab aulis, nec semper; sed rarò admissa. Arriano enim *libr. 4. ad Epict.* monente, olim etiam quærebat aulicus, ingrata silentio inuolués, quemnā ex domesticis Cæsaris salutare? cuius gratiā verbis

75 Aulica prudentia.

inire? cui munus mittere? quomodo saltatori placere? quomodo alio in fraudē illecto, alii gratificari posset? Quem locum Arriani si benè cōsideraueris, astipulari non poteris *Antonio Gueuâræ cap. 16. lib. de doctrin. aulica*, opinãti, antiquas aulas nostris longè puriores fuisse; vitâ scilicet & moribus: cum iidem aulici & mortales extiterint; pauca & grata Prin-

76 Veteres aulas non meliores nostris.

cipibus proponētes, *Demosthenes Olynth. 11.* Ingeniosi semper obseruarunt, Principes plerosq;, nec ipsos veritatem inquirere tàm in ꝓfanis, quàm sacris, nec libertatem inquirendi, nec liberam dicendi facultatem libenter ferre: Nō enim nunc primum cantillant illud;

Non mihi sit seruus medicus, propheta Sacerdos.

Medi-

Medicum .n. temperãtiam præſcribentẽ, iram & alias perturbationes diſſuadentẽ: Conſiliariũ cauſas euerſionis prædicẽtem, & ſe vitia apertè notantẽ, quamdiu audient vel retinebunt? Alio erat ingenio Alexandri pater: is enim benè monentibus ac oratoribus Atheniensium, pro contumeliis gratiam habebat, oratione melior factus: *Enitar* dicebat, *vt ipſos tum verbis tum factis cõuincam mendacii. Poggius de infelicitate Principum pag. 151.* Iulius Cæſar iãbis plus quàm Archilochæis petitus, tamẽ Catullum eodẽ die ad cœnã vocauit. Verũ hodie etiam ex optimo animo conſilia ꝑfecta & moderatiſſimè dicta, inprimis ſi ex animi ſententia non proceſſerint, ferro, gladio, carceribus vlciſcuntur: cum tamẽ nemo exitu rei obligetur, *Symmach. lib. 19. Epiſt. 69. Plinius Epiſt. lib. 5. Epiſt. vlt.* Abſurdum enim eſt, ſi cœptis audacib. aduerſetur euentus, conſurgere in querimonias & inconſultarum diſputationum culpabiles euentus, *Syd. Apollin.* vt eleganter ſcribebat *lib. 6. Epiſt. 6.*

77 Principes non libẽter ferre medicũ, prophetam, ſacerdotem.

78 Cõſilia pœnis hodie oppoſitã.

79 Euentũ cõſiliariorum incertum.

Conſiliarios itaq; ꝓbos & fideles au-

diant principes prudẽtes, alioquin nullos, iuſta Dei vindicta efficiente, cogitationes ratas, nulla conſilia certa habebunt. Infinitos Principes conſilii neglecti pœnas dediſſe, exemplis quibus libri veterum pleni ſunt; ſi nõ odioſum & moleſtum eſſet, probare liceret, modò exemplis meliores fierent: Sed cum Polybio dicendum: Hominem cenſeri prudentiſſimum animalium, at ſibi ſtultiſſimum videri, cum ſolus homo ab æuo in æuum peccet ferè in iiſdẽ. Dum verò aſſerimus principem conſilium & conſiliarios adhibere debere, in actionibus feliciter dirigendis, in ipſo conſilio ſumendo, Principis induſtriam, ſolertiam, vigilantiam ac authoritatem non excludimus, hoc ſolummodo ex voto omnium prudentum exigimus, ne multorum fidelium conſiliariorum ſententiæ, propriam forſan ab adulatore improbo ineptoque dictam, ſemper ac optimam præferat, *Herodotus lib. 7. hiſt. pag. 377. num. 169.* cũ plus oculi quàm oculus videãt; ac nemo in omnibus excellat & ſapiens ſit: illum philoſophia, at ve-

80 Conſiliarios audiendos.

81 Hominem animal ſtultiſſimum.

82 Principem aliorum cõſilio vti debere.

at verò non actuoſa; hunc, eloquentia; illum, Iuriſprudentia; hũc, Theologia; illum, politica; hunc, œconomica ſciẽtia; illum, pacis artes; hũc, ſtudium militare ornet. Sic Auguſtus non omnia proprio conſilio egit, ſed multa publicè deliberãda propoſuit, vt ſi quid aliis diſpliceret, id corrigere poſſet; omnes verò adhortatus eſt, vt ſuum ſibi conſilium aperirent, ſi quid rectius inuenirent, libertatem eis omnem concedẽs: eorumque motus ſententiis, quædam retractauit, *Dio hiſt. lib. 53. pag. 510.* Idem Auguſtus, in decennium gubernationem ſuſcipiens, conſiliarios annuos viginti petiit, *Dio lib. 56. pag. 585.* & illa incũbit principibus neceſſitas, vt multos ſocios laborum habeant fortes & prudẽtes, *Dio lib. 52. pag. 468.* multum vtilitatis Reip. afferentes. Quemadmodum enim ii qui alios in oneribus baiulandis adiuuant, eos leuant; ita cõſiliarii quoque multitudinem negotiorum leuiorem reddunt. Hinc optimi Imperatores cõſiliarios *patres*, vocarũt; hinc portionem corporis proprii cenſuerunt,

83 Libertatem in conſiliis relinquendam.

84 Dignitatẽ ſenatorum, maiorem quam intelligant Centauri.

l. ex Diui, 4. C. locat. l. Quisquis, C. ad l. I maiest. & in senatorum ordinem seips numerant, *l. ius senatorum 8. C. de dign lib. 10. Vasquius lib. 1. quæstion. illust. lib. 1. n*
85 Senatores partem meliorem humani generis esse. *18.* & nõ immerito, cum senatus sit pa melior humani generis, *Symmachus scriba lib. 1. Epist. epist. 46. pag. 34.* Prudẽti *mundi lumina* vocat, *lib. 1. in Symmach.* ipse imperator Hadrianus senatũ pr claro elogio describit, *ornamentum v* Consiliarii principes salutis. *bis, splendorem ciuiũ* appellans; Cicero *natum principem salutis, in orat. De Aru resp.* Probus Imperator apud Vopiscur *Senatores mũdi principes* esse ait *Iuretus, lib. 1. Symmach. Epist. 46.* Idcirco omni d bet carere vitio, *Tull. li 3. De legib.* & iu eorũ tuebãtur strenuè, *l. vlt. C. Theod. 1 iurisd. om. iud. Iuretus ad Symmach. lib. 2.*
86 Mancipia togata. *pist. 74.* Verũ quẽadmodum Heliog balus senatores *mãcipia togata*, Lãprid teste, vocauit; & Aurelius Vitellius c quo decẽ minas, adulatori decẽ talẽt scorto talentũ, Medico drachmã, ph losopho tribolum, consiliario fumũ d dit: sic hodie barbari homines exis mãt, sine iis Remp. florere posse, & iis

xig

xiguaſtipẽdia ſoluẽda, ſenatores viliſſimis ꝓcuratorib. & ſcribis ęquiparãtes: Sed vt principis ſalus, priuatorũ ſalus dicitur, ita auctoritas & dignitas Cõſiliariorũ dignitas Principis nõ iniuria cẽſetur; nec fieri poteſt, vt magnifiat princeps, cuius ſenatores cõtemnũtur. Petat verò Princeps conſiliũ à ſenatorib. viris, omni doctrinę genere exercitatis & ornatis; nõ ab imperito ac alienę artis mãcipio, veluti tõſore, pictore, & homine ingreſſo ſemel vel iterum cõſilii officinã, cui nemo priuatus ſua crederet, vt loquitur *Iſocrates De pace*, ne princeps imprudens dicatur ipſe, ac is à quo petit conſiliũ, leuitatis, ſtultitiæ, ac curioſitatis arguatur. Mirum quod id genus hominum vnam atq; alterã rationem in ſpeciem probabilẽ, vel legẽ ciuilem allegãs habeatur doctius omnib⁹, quotquot ſunt à conſiliis. *Nicolaus Cleonardus lib. 1. epiſt. pag. 72.* Igitur certis negotiis certos & peculiares adhibeat cõſiliarios. Quẽadmodum .n. olim in Ægypto medicamentorum & venenorum fertili, ex ſentẽtia mortalium Medici excel-

87 Dignitatẽ ſenatorum, eſſe dignitatem Principis.

A quibus conſiliariis conſiliũ petendum.

Certis negotiis certos conſiliarios adhibẽdos.

lentiſſimi habebãtur, quod ſinguli ſingulorum morborum curationem profitebãtur, vt teſtatur *Herodotus lib. 2. num. 53. pag. 118. Mercurialis Var. lect. lib. 2. cap. 8. Camerarius de nominibus equeſtribus, pag. 105.* & in Italia præſtantiſſimi ICti cenſeãtur, quod pleruncq;, generali tamen cognitione non excluſa, in certa parte iuris, vltimarum voluntatum videlicet, ſucceſſionum, rerum criminalium, cõtractuum excellant: & equites eximii ſint & fuerint, qui ad diuerſa miniſteria, diuerſis equorum generib. vſi ſunt, & vtantur: Sic etiam conſiliarii variis negociis diſtracti, raro excellere poſſunt. Sed quid hodie in Germania fiat, in aperto eſt. Plerique enim nobiles vt vnum eundemque equum modo ad plauſtrum, aut eſſedum adiungũt, modò ad itinera facienda adornant, modò ad bellorum pericula armant & equis ſuis vtuntur tãquam Delphico gladio: ſic principes eligunt, amant, cõducunt conſiliariorum operã in omnibus, quæ ſeſe obiiciunt rebus, vt cauſas agant, lites tractent, rationibus præſint, arma

ſciant, conſtitutiones Imperii exerceant, oratores & legatos agant, imò Medicum, Mathematicum, opificē ſimul repræſentent, **vnd das ſie zu allen ſatteln gerecht ſeyn**/ vt loquuntur & prædicant. Sed inde ſequi, vt neque equites præclaros nullos, Medicos paucos, conſiliarios excellentiſſimos pauciores habeamus, mirum debet videri nemini. Bonos itaque & peritos Imperii rebus adhibeat, & ſecretiori conſilio quos benè nouit, & quidem pauciores, Carthaginenſes ſecutus, & Imper. Auguſtum, Dio dicto *lib.52. Liuius lib.30.& 35.* Inprimis tales, qui egreſſi trigeſimum & ſexageſimum primum, ſecundum, tertiumve annum, maximè idonei habentur; ante enim trigeſimum annum nec ſapientia, nec experientia radices egit, vix cum plurib. annis. Rectè enim *Celſus Mancinus lib. 8. cap. 6.* de qualitatibus conſiliarii agens ex Ariſtotele, inquit: Iuuenes Geometras eſſe poſſe, ſed non ſapientes: poſt ſexageſimum tertium amittitur memoria; intellectús vacillat; experiētia mutatur in obſtinationem,

29 Cuius ætatis viri ad conſilium vocandi.

vt notat *Bartolomæus Philippus de cons. Discurs. 6. num. 3. & seqq. Ruländus De commissariis, lib. 1. cap. 12.* Quemadmodum enim istum annum egressum non laudamus, neque recipimus colonum, *Conrad. Heresbach. lib. 1. de re rustica, pag. 55.* Sic multò minus consiliarium: receptum tamen retinemus, nec eiicimus. Nam senectus cruda, non amplius concoquit cōsilia.

Mors præueniens mortis acuta tela, certe est
Ignaua, rigens, senta situ, blaca senectus,
Virtus nisi condiat alma, asperum hoc venenum.

29 Senes. *Scaliger 2. Epidorp.* ac senectutis contumeliosa est emēdatio, *Symmach. lib. 10. Epist. Epist. 54.* senesq; lēti sunt ad labores, *Symmach. 3. Epist. 13.* & plerunq; fiunt garruli, *Sym. 8. Epist. 47.* & nihil iustum ac sapientiæ consentaneū putant, nisi quod in iuuentute egerunt, vel agi viderunt, somnia somniiq; imagines exhibentes. Cæterum, pars est hominis nobilis, & cati & pudentis

Canos reuereri: etiam si parum nitescant.
Obscurū genus in senio haud parū refulget.

Scaliger 4. lib. Epidorp.

Iustæ ætatis & experientiæ consiliarius in dando consilio, necessum est accuratè obseruet, an ingenioso & iudicioso vel simplici principi consilium proponat: huic si proposuerit, caueat ne rationes subtiles adducat, principémque confundat, & executionem impediat, cum ex sententia Demosthenis, multitudo rationum hebetiores intricet: illi si dederit, quas potest peremtorias simul adducat, & titubantem confirmet, *Bartholom. Philippus Discurs. 12. De consiglio & cons.* cõfirmet, inquam, rationibus & auctoritatibus & iure diuino, naturali, ciuili, tum exemplis ex omnis ætatis historiis desumptis, vt veritas appareat. Hac cautione opus est: plerunque enim principes viri non admoniti diligenter in eorum sunt numero, vt aliis recta & salutaria consilia dent, quorum aliquot nostra ætate nouimus, & ipsi eo non vtantur: facilius enim est aliis consulere, quam sibi ipsi, *Dio lib. 38. pag. 70.* & ita omnis speciosa sapientia ac in alienis corroborandis

91 Quo pacto cum principibus in cõsultationib. agendum.

92 Facilius cõsulere aliis, quam sibi ipsi.

industria, inanis ferè ac infructuosa illis abit, quos Terentius in Heaut. notat.

Nonne flagitium est te aliis cōsilium dare: Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?

93 Errorē principum nunquā corrigi. Cum tamen principis & Regis errore infiniti periclitentur, & culpa illorum commissus nunquam corrigatur: & officium ipsius in eo positum esse debeat, vt auertat omnem errorē labore & industria: omnino necesse est, eū qui imperium gerit, multis curis ac timoribus

94 Principum cura. confici, *Dio lib. 52. pag. 469.* Vigilare, laborare ac plurima curare oportet eum, qui volt dici prudēs, magnus & potens princeps: quærendo, agēdo, prouidendo, haud otio res magnæ aguntur: vigilantia enim in integrum restituuntur res, quæ oscitantia perierunt, *Demosthenes in Philipp. III. orat.* Itaque inter mortales primi, sublimes & generosos spiritus cōcipientes regnis præficiuntur; nam splendidis negotiis deditos non decet animum abiectū habere, Demosthene autore *in orat. I.* Hoc multum est, si quis quod rectum est, norit ipse, si sit opus, valeat rectè efficere. Ast ea mul-

multo maxima cunctarum rerum est res, talem animum eidem si superi dederint, vt præstet quæ exigit vsus: nec quid cunctetur lentus, prauumque secutus: principi minima curæ esse oportet. *Iustinian. in præfat. Edict. 13.* præsertim in bello, in quo paruis mométis magni casus intercedunt. *Cæsar lib. 1. & 3. De bello ciuili*; cuius scriptionem laudat *Quintilian. lib. 10. Instit.* quod videlicet eodem animo dixerit, quo bellauit: Vituperat contra omnium aliorum sentétiam nimis licenter criticâ licentiâ *Iustus Lipsius*, in ea re minus iustus, *lib. 1. Pol. pag. 12.* Quamobrem, vt supra dixi, principes ipsi negocia obiecta pensiculare & idoneis consiliariis deliberanda committere, vereque statuere debent, etiam sapientissimos quosque in consiliis errare, ac facilius vnum fiducia ingenii abripi: multos itaque audiat graues, sapientes & ingeniosos, nó Hephæstionem & Mediũ, parasitos, ac adulatores, quorum artes & artium mala effecta cõgessit *P. Gregorius in lib. 8. De Repub. cap. 7.* qui in castris Alexandri vt plurimum ver-

95 Quintilianum rectius ac Lipsium de Cæsare sentire.

96 Principum cura.

sati sunt, ad nutum & cupiditates Alexandri se componentes: Et licèt Nestoreos annos sint assecuti, tamen procerum consilio vti debent. *Padil. in l. si vniuersi, num. 14. Cod. De diuers. rescript. Dd. in l. omnium. C. De testamen. fœder. Scotus respon. 19. nu. 15. li. 1.* Princeps apud se ipsum non sit sapiens. *Prouer. 12.* ibi enim salus, vbi multa cōsilia, *Prou. 24.* & sapiens au-

97 Cōsilio prudentum vtendum.

dit cōsilia, *Prou. 13. 15. Prouerb. 19. 27. 21. Syracid. 32.* Quisq; cōsilio sapientum non vtitur, is salubriter ex sententia Polycratis gubernare nequit: & quod consilio disponitur, id ad beatitudinem imperii redundat, *l. humanum, C. de legibus, l. Dubium non est, 3. C. De repud.* melius e-

98 Benè cōsultare optimū lucrum,

nim curantur ea quæ cōsilio geruntur, quam quæ sine consilio administrātur. *Cicer. de inuent. libr. 1. Liuius libr. 4. Decad. 5.* Accurata enim consideratio ab initio adhibita in actionibus perdurat, *Dio hist. or 36. libr. hist. Roman. pagin. 13.* Audiant Principes *Herodotum libr. 7. Historiarum,* dicentem, Bene cōsultare, cōperio maximū esse lucrū: Et, si nullū alium afferrent fructū consultationes, tamen per deli-

deliberationis ſpeciē ac prætextum, ingenia ac iudicia hominū callidè expiſcri poſſumus, vt eruditè monet *Iſocrates in orat. 12. Panathen. Farneſ. lib. 1. De ſimulacro Reipub. cap. 2. pagin. 37.* Conſilium verò vt ſortiatur optatum effectū, princeps antè omnia ſedulo ac ardēter Deū inuocabit, vt ipſe det ſpiritum intellectus, ſapiētiæ, cōſilii, fortitudinis, pietatis & timoris diuini, & ſuppleat clementer quæ deſunt; ſciendū nāq; & principib. multa deeſſe, & omnis ſenſus iis deeſt, qui nihil ſibi deeſſe putāt. *Bernhard. l. 2. De conſolat. ad Eugen.* Quib. omnibus obſeruatis, cogitationes firmas & Regias, Princeps habebit, *Iſaiæ c. 32.* quas executioni cōmittere debet, qđ gubernationis difficultati coniunctum putant politici, *Frachetta in princ. de principe.* Nā in iſtis variis Principum Regumq; caſibus, qui animos illorum miſerè exercet, variè executiones impediūtur, mulierum & adulatorū aſtu inprimis, quo conſtātiſſimum ſępius inconſtantē efficiūt; quę incōſtantia ſi hęreret in barba, facile quæſito remedio remoueri poſſet. Selymus Solimanni parens, in-

99 Executiones variè impediri in aula.

Inconſtātia Principum.

terrogatus aliquando, quare exemp
ſui patris barbam non promitteret, r
ſpōdiſſe fertur, *ne pro libidine ſubditoru*
huc illucq́ inuitus abduceretur. Porrò, i
quies, conſilia abſque periculo princ
pibus non dari, cùm ſuapte natura p
riculoſum atque difficile ſit dare conſi
lium, *Demoſthenes in oratiorī. De pace*; cor
ſultius ergo & vtilius eſſe dimiſſo cap
te tacere, vel id quod principi placo
approbare, quam diuerſam, imo quan
doque contrariam proferre: Certè i
negari non poteſt: at rectitudo & inte
100 gritas animi non patitur, vt huic do
gmati aſtipulemur; moleſtum enim &
periculoſum eſſe non poteſt, quod cō
penſat gloria immortalis. Licèt nam
que vſu receptum ſit & antiquitus fue
rit malè arreptum, quod honeſta con
ſilia vel turpia, prout malè aut proſpe
rè cadunt, vel probentur vel reprehen
dātur, & ex euentu cum aliorum inte
itu iudicentur. *Cicer. in orat. pro Rab. D*
in Octa. lib. 45. ab illis qui iudicii cæcitat
contra proprium commodum labora
& qui dederunt, miris modis iniquè v
xentu

Selymi dicterium.

Ingenuitatem in conſiliis & ſententiis dicēdis amandam.

Viri boni officium.

tur. Tamen bonum virum, in veri-
- dicenda nec tempus immutare,
: mutilare potentia, nec corrumpe-
necessitas ac metus, nec improborũ
minũ defatigare improbitas debet;
eo alacrius, nec spe, nec metu, nec e-
lumento deterritus, asserat & tuea-
in consilio veritatem, & pugnet pro 101
vel solus vel cum aliis, & cõsilium det Consilium
nsiliarius, etiam non petitum, vt ve- etiam non
r & sanior habet politicorum sentẽ- exactũ pro-
Cornel. Tacit. lib. 2. annal. Liuius lib. 3. ponẽdum.
nosthenes in orat. De pace, ἀμυνῶ ὑπὲρ ἱε-
, καὶ ὑπὲρ ὁσίων, καὶ μόνος, καὶ μετὰ πολ-
ν: ac ea in re aulici imitari debebant
iscum Heluidium, qui maluit mori,
am veritatem in dicenda sententia
oprimere. *Arrianus lib. 3. Epist. 2. Dio in*
sare lib. 44. pag. 251.
Ærumnosum quidem est vitam o- 102
mam permutare cum pessima, vt dis- Pulcrum vi-
tat M. Tullius cũ Philisco apud Dio- tam cũ lau-
m *lib. 38. pag. 70. 71.* attamen pulcrum, de pacisci.
am pacisci cum laude ac forti aliquo
trato facinore, in memoriam poste-
atis, pulcrè occumbere, quam turpi-

ter falsa, callida & seditiosa cõsil firmare, & Catilinæ & Lentulo deratæ coniurationis sociis, atq mnia contra Reipubl. incolumit mouentib. astipulari. Tales viros pu lis negotiis pręficiẽdos dicebat Demosthenes in orat. contra Aristogitonem, & talẽ neglectionẽ Reip. perniciosam idẽ asserit *Epist.3.* Principes rectè & honestè ac sincerè dicta audire & sequi si

103 Cõsiliis neglectis cõsiliariis abeũdum.

recusant, si Prodicũ illum Socratis magistrũ negligunt, rebus benè desperatis nil reliquum est, quam vt quibus moderari nequeunt consiliarii, ingenui, magnanimi, ab iis recedant, quique sapiunt, opes & gloriam ridentes, se sub tectum tuti ac cauti silentii recipiunt, cui tutum semper præmium, *Peckius in c. Qui tacet, De regulis iuris in 6.* Defuturi tandem sunt qui suadeant, si malè, sed ingenuè suasisse periculum sit, vt apud Curtium *lib. 4.* legitur: Lepidè enim Terent. in Adel. *Nam tu quid agas:*

Vbi si quid benè præcipies, nemo obtẽperet?

Certũ quidẽ est, talis secessionis causas non omnib. diuersè iudicantib. appare-

parere, & inde contemtũ aut existimationis dimicationem oriri; sed sufficiat Deum ac conscientiam secessionis habuisse testem, & cõtemtum magno excelsoq; animo cõtemni & aliam modicam eligi posse: sortis istius quies licèt careat splendore aulico, non tamen carebit necessariis ad naturam: omne enim, quod præter ea, quæ necessaria habemus, possidetur, superfluum est, in nullo discrimine, adsit vel absit, ponendum, vt Philiscus Ciceroni dicebat, & in hac felicitate morientes, inscribi curabunt sepulchro. Similis istius Epitaphium: *Aulicus cuius ætas multorum dolorum laborumque fuit, ipse septem duntaxat annos vixit, remotus & procul à negotiis*: is enim Similis dimissus ruri septem vitæ annos conquieuit, *Dio lib. 69. pagin. 801.* cum alioquin infelicem vitam infelicior obitus aulicorum comitetur. *Poggius De infelicitate principum in fine.*

104 Contemtũ contemnẽdum. Ad naturã viuenti nihil deesse.

105 Vitam priuatam veram vitam.

Quî verò fiat quod plerunq; salutaria consilia & consiliarii optimi negligãtur & vsurpentur nocentia, etiamsi nobis

106. Causa cur optimi cõsiliarii & cõsilia contemnantur.

euidẽtissimè ob oculos versetur rei priuatæ ac publicæ euersio, quæstio est antiquissima, ex sacris literis potissimum explicãda. Deus propter prauam mortalium volũtatem, infinita peccata nostra, actiones nostras ita dirigit, vt ad finem, quem ratio probat & expetit vtilitas, honestas & necessitas, peruenire nõ queamus, ocio, voluptatibus & non necessariis molitionibus adducti, vel hominibus stultis ineptisq; iuuenibus seducti, consilio maturo non vtentes, vt cum Euripide rectè dicamus:

Nouisse recta, nôs scientes optima,
Non elaborare tamen; alios otium,
Alios honesto præferentes suauia.

Quamobrem non minus piè quam prudenter Salustius ad Cæsarem. Ita
„ comperi, omnia regna, ciuitates, natio-
„ nes, vsq; eô prosperum imperium ha-
„ buisse, cum apud eos vera cõsilia value-
„ rint; vbicunque gratia, timor, voluptas
„ eos corrupêre, post paulò imminutæ opes, inde imperium ademptũ, postremò seruitus imposita est: quod eo sensu accipimus si consiliarii sint probi & boni vi-

107 Carnalẽ sapientiam in consiliis exitiosam.

ni vi-

ni viri: ſola enim ſapientia & prudentia
carnalis non ſufficit: Sapientes cõſilia-
rii, inquit Propheta, dederunt conſili-
um inſipiens, deceperunt Ægyptum
angulum populorum eius; & Dominus
miſcuit in medio eius ſpiritum vertigi-
nis; & fecerunt Ægyptum in omni ope-
re ſuo errare, ſicut errat ebrius & vo-
mens, *Eſaiæ cap. 19.* Deum tamen omni-
um rerum gubernatorem nõ implica-
tum dicimus in naturam mũdi, & huic
adhęrentem & affixum, ſed οὐσίαν & ὑπερ-
ουσίαν, autorem, creatorem & cõſerua-
torem, nec cauſam peccati ſiue erroris;
ſed noſtram peruerſitatem, quę ſumma 108
cupiditate, vero falſum, honeſto turpe
præfert, facimus: Camerarius vir erudi-
tione & fide antiquiſſimis prudentibus
annumerãdus, in *problem. cent. 1. q. 1.* Ho-
neſtum enim ſine commodo & ſuaui-
tate, nemo ferè appetit, neq; intelligit
præclarum eſſe niſi vitio manifeſtato;
tunc enim apparet ſolam honeſtatem 109
appetendam, etiam nulla adiuncta vo-
luptate.

Deum non eſſe peccati autorem.

Vitio manifeſtato, apparere ſolã honeſtatem appetendã.

Denique vt bonos ſollicitudine &

ordinem prudentũ infamiæ periculo, aut certè hominum insanorũ sermone liberem, hoc quoq; paucis diluendum, quod Consiliariis politicis cotidiè in Circulis, & alibi obiicitur; *Vocem nunquam hominem interfecisse*, vt apposité Cæsar de Ariouisto dicebat, *Dio libr. 38. pagin. 89.* nec verba sufficere, vbi verbera requiruntur, & rem militarem non consistere in literis, sed armis;

110 Bellum non tantum cõfici armis, sed ingenii viribus.

quod cum cupio & aggredior, paucis demõstrabo, vt plurimum, vbi quæruntur armis imperia, ibi prudentiã in precio esse & armis literas sustineri, & literis adiuuari arma: & hoc ideo demonstrabo, ne vniuersus hic labor inanis & vanus dicatur, inprimis iis, qui vix vmbram viderunt veræ militaris scientiæ.

Prodeant itaque in medium militiæ imperatores & magistri, quos suspectos forsan non repudiabunt, asserentes non tantum corporis, sed etiam

111 Auctoritas Imperat. bell.

ingenii viribus & promtitudine in conflictu & bello opus esse, Arat. Sycionius, L. Lucullus, C. Cæsar, Cn. Pompeius: infi-

infinitos alios non recenſeo, inprimis non Græcos ignotos iſtis hominibus: & verecundia noſtra togata breuitatem poſtulat, imo & modeſtiam. Et quamuis literæ virtutem neq; dent, neque auferant, Seneca teſte, & M. Tullio, *3. De legibus*, litteriſque vix imbuti præclariſſimi in Republ. verſati ſint, veluti C. Marius, diſcere literas nolens, rectè adminiſtrarit Rempubl. Saluſtio referente *in Iugurth.* ac plures alii indocti principes, *Iohann. Bodinus libro tertio de Republica, capite primo*: & hac ætate ferè laboremus litterarum intemperantia, & non verbis, ſed verberibus & armis hoſtes vincantur, *Demoſthenes in exord. conc. 113. pagin.146.* Tamen Xerxes victus magis eſt conſilio Themiſtoclis, quàm armis Græciæ, & quidem glorioſè, *Ioſeph.lib. 2. De bello Iudaic. pagin. 166.* & erudita & litterata Græcia innumerabiles ſuſtinuit Perſarum exercitus, & non tantum ſuſtinuit, verum etiam fregit & profligauit, nec vnquam niſi à ſeipſa vinci potuit, domeſticis diuiſa diſcor-

112. Literas virtutem non dare nec auferre.

113. Xerxem cōſilio Themiſth. victum.

114 Græciam euersam propria discordia. diis, quas arte & doctrina cauere nõ potuit; & tandem non tam bellis Philippi infirmata, quã propriis perculsa & euersa viribus corruit. Inde Agamemnon prudenter non optauit vt Aiaci similes decem haberet, sed Nestori & Vlyssi. Ex

115 Scientiã militarem etiam ex libris hauriri. quibus relinquitur Lucullum rectè rei militaris scientiam ex libris hausisse, *Cic. 2. Academ. quæstion.* & Alfonsum prudentissimum regem gloriari solitum, se arma & armorum iura ex libris didicisse post Iustin. Imperat. *l. 1. C. de Iust. Cod. confirm.* rescribẽtem, Legibus res militares

» in tuto non minus quã præsidio armo-
» rum leges conseruari. Iohannes Galea-
» cius Florentinorum hostis dicebat plus

116 Consilio astuque geri bella. sibi detrimẽti afferre Collucii Pierii Oratoris, & Reipub. Florent. tabellionis Epistolas, quam mille equites auratos, *Volaterran. lib. 21.* Hoc est quod post Salom. in ore habuit Aristides, *Prudentia & consilio geri bella*, quod prodidit Tacitus. Plura consilio quam vi perfici, & cõsilio ac astu externas res moliri, *Scipio Ammirat. lib. 2. Discurs. 6. Farnesius de simulacro Reipub. lib. 3. pag. 87. cap. 9. Camerarius*

in me-

*in meditatione Histor.c.2.*cum, teste Vegetio, ars militaris vt cæterę omnes meditatione perficiantur, & intellectu ac ratione res præstantiores, quam armis, Henrico III. Rege Castil. probãte, gerantur. Hoc amplius, quod nõ tam robore ac viribus, quam prudentia & consilio bella instituantur, gerantur, administrẽtur, omnis antiquitatis ac doctrinarum parens multiscius & cunctarum rerum apprime peritus, Homerus cæcus, omnia vidẽs, qui a dissimilibus prędicatur, *Symmach. libr. 8. Epist. 22. Iliad. lib. Y.* 117 Artem militarem meditatione institui,

Μήτι τί γαρ δρυτόμος μὲν ἀμείνων ἢ βίηφι: ac Ῥώμη δὲ μετὰ μὲν φρονήσεως ὠφέλησεν, ἄνευ δὲ ταύτης πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε. Audiant etiã nostri soldati patiẽter Isocratem ad Demon. βέλτερος etenim ἀλγήεντος ἔφυ σεσοφυσμένος ἀνήρ. Verissimũ enim, & vsu rerum iamdudũ munitum, ἄτρου καὶ πολιὰς σοφία καὶ νῆα κυβερνᾶ. Et Euripides scripsit: τὸ νικᾶν πᾶν δ᾽ εὐβουλία, 118 quod allegat *Polyb. lib. histor.* Et veteres Mineruam esse, præsidem martium & bellorũ. dixerunt Mineruã Deam & præsidem, non tãtum ingeniorum, artium ac do-

ctrinæ, verum etiam bellorum: Barbarę gentes hæc non negant, quamuis inter excultas nationes, multi reperiãtur qui negent adhuc. Nam quid hodiè fiat, exempla quotidiana docent: hoc tẽpore nonnulli Duces, vt plurimum tamen milites existimant consilium & artes ad militiam rectè gerendam non requi-
119 Germanorũ militum opinio praua.
ri. Tympanum sonuit, inquit *Lipsius lib. 5. de milit. Roman. Dialog. 20.* concurrunt, nomen apud scribam professi sunt, in veste aliquid mutant, ferocius incedũt, bacchantur, potitant. Ecce iam miles: & cum nemo artem profiteatur quam non didicerit, sola hæc militaris est, quam omnes scire se arbitrantur. Mutabitisne Germani peruersam opinionẽ intra paucos annos toties mulctati? Indè hoc oritur, vt militari scientia non instructi, in acie ac cõflictu statim concidant & occumbant. Legimus namq; Amuratẽ primũ, cum magno periculo ingentem cædem Christianorum edidisset, ad Tribunum quendam canũ dixisse: *Aspice hos Christianos occisos, quorũ tamen nulli barba incanuit.* Cui Tribunus;
Hanc

*Hanc ipsam ob causā, Sultane, intantā incide-
rūt calamitatē, quod nemo inter eos senex atq;
experiens belli fuerit.* Quis nō indignetur,
nos quidē nomē Romanorū & Germa- 120
norū ferre, alias vero gētes infirmas ef-
fœminatasq; nostris actionib. & vestitu
represētare, vt in simili de Romanis lo-
quitur *Dio li. 41. de bello Ciuili, p. 166.* Post-
quā verò lumē illud Germaniæ, decus
ac delitiæ huius ætatis Illustrissimus Prin-
ceps MAVRITIVS *Lādgrauius Hassiæ,* 121
omnib. sciētiis instructus, probe intelli-
gat infinita ad vsū rei bellicæ spectantia
ex libris sumi posse, non tantū Græcos,
vt Leonē Imperatorē & Onosandrū La-
tinos, Italos, Gallos ac Germanos au-
thores veteres & recētes de re militari
sūma diligētia legit; verū etiā præceptis
ex iis sumptis, subditos instrui ad arma
prudēter & expedite tractāda etiā tēpo-
re pacis, exemplo Salomonis *1. Regum 4.*
Chronic. 1. curat, vt meritò addubites,
an plus C.I. inscientia togata, vel arma-
ta sit tribuendū. Vt rectè scripserit Cō-
siliarius Luneburgensis:

*Laudandus Princeps, celebrandaq; Princi-
pis acta,*

Germanos exprimere mores gentium effœminatarū.

Principem Mauritium Landgrauium armis & literis esse instructum.

Est vbi coniunctus Martis & artis honos.
Quē studiū Martis pariter cōmēdat & artis,
Quiq; vigēs primas flos in vtroq; tenet.
Siue sit armatum, pro tempore, siue togatum,
Præses Marte regis, Præses & arte doces.

125 Militi cognitionem literarū esse necessariā.

Inde iam firmiter infero, militi cognitionem literarum necessariam esse; in qua sententia video quoque esse *Valerium Max. lib.6. cap.11. Boterum Discurs.17. pag.131.* „ Cōsilio enim ex historiarum le- „ ctione sumto, efficis vt non multo mili- „ te vincere possis multos, vt vi proiecta „ cadauera tergo aut ore premant cam- „ pos, ac ampla spolia reportes. Videbis, „ inquit Sertorius, ingenium plus posse „ quā vires: multa enim vno impetu quę „ superari non possunt, paulatim superantur, *Plutarch. in vita Sertorii.* Cognitio itaq; tam militiæ armatæ quam togatę necessaria & studiosis fructuosa est, inprimis politica, quæ comprehendit, vt supra dixi, iura sociorum, fœdera, iura militaria, caussas & constitutiones Imperii omnes, quas tamen omnes iuris publici partes cōsiliario Principum ita addiscēdas opinor, ne ius priuatum negligatur.

126 Ius priuatū Politico nō negligendum.

Cum

Cum enim ſtatus Reipub. Romanæ iis comprehendatur, quæ in ſupremo Germaniæ iudicio obſeruãtur & in aula ſummi Principis videlicet diiudicãtur, quis quæſo Politicum ſe profiteri audebit, cui Imperii leges ſint incognitæ, incognitum ius priuatum? Erronea itaque ſententia Cleonardi, *Legato haud aliter legendas leges ciuiles, ac orationes Ciceronis:* hoc eſt, obiter, *Epiſt. lib. 1. p. 71.* Turpius errauit *Stanislaus Orickouius in funebri oratione Sigismundi*, aſſerens leges ciuiles tanquam carmina Romanæ ſeruitutis, regno pellendas: Legatos enim nõnullos Politicos certe inſignes, non ſolum ciuiles, ſed etiã criminales cauſas audiuiſſe, conſtat ex Vegetio *libr. 2. cap. 9. l. vnica, C. De off. proc. & leg.* Quod Cabotius etiam obſeruauit, cõtendens eum qui in iure priuato verſatur poſſe ignorare ius publicum; ſed non contra, *lib. 2. Diſputat. cap. 1. & 2.* Verum cõ hodiè ventum, vt pueri velint nominari Politici, Scip. Gentil. quos notauit in *oratione de re milit. Rom. & Tur. pag. 29.* Minime tamen interim probo illos, qui peritio-

127 Politicos etiam ius priuatum tractaſſe.

128 ICtum ius publicum ignorare poſſe.

res sunt priuati, quã publici iuris, quã-
uis ab his plures opes coaceruentur, te-
129 Priuati Iurisperitos nummos collegere.
ste *Cleonardo libr. 1. Epist. pagina 25. & Petro Quinquerano De laudib. prouinciæ libr. 3. pag. 86.* Politica absq; iure ciuili, cũ Politico circũcisa & amputata, sine apparatu, sine honore iacebitne? Quintilianus tales risu excipit, *li. 12. Inst.* dicẽs: Qualis
130 Politicum in Imperio nullum, sine iuris cognitione.
esse suasor in cõsiliis publicis, priuatisq; poterit, tot rerũ, quibus præcipuè ciuitas vel Resp. cõtinetur ignarus. Nihilominus relinquitur Politicos rerũ publicarũ sapiẽtiores & meliores ac tales esse, qui plus prodesse queũt quã etiam ꝓbati causidici, *Isocrates de permutatione.* Hæc iura publica & ante oculos posita esse videmus, collocata in vsu cotidiano, in cõgressione Principũ & publicarum
131 Publici iuris cognitio vera Philosophia.
personarum. Hęc est vera Philosophia, nõ quã fastu & habitu metitur volgus, vt Symmachus loquitur, *li. 1. epist. 23. l. 8. C. de med. & profes.* Hæ sunt præclarę disciplinę superãtes omnes sciẽtias omnino in Rep. necessarias de pace, de bello, de fœderibus, de induciis, de cõnubiis magnorũ regũ, de dote filiab. cõstituenda,
de sum-

de summis honoribus, de legationibus, de magistratuũ officiis, de prefecturis & ꝓcurationib. Reip. de assignãda patrimonii parte, de electione & successione Regũ, Ducum, Principum, de Ducatib. diuidẽdis, vel non diuidẽdis, de liberis defuncti Regis, de vectigalibus, de administratione, cura & iure fisci, de fide & religione, de scholis, de exercitu, de iure militari, quibus rebus omnib. vtilitas Reip. paratur, augetur, conseruatur: in iis se exercuerũt lumina mũdi, preclari Principes, nõ in aliis ludicris speculationibus: non .n. requiritur vt principes de reliquis valde sint solliciti: iis enim summopere curandũ, vt potius Cicerone autore, ex arte dicãt, quã multum de arte disputẽt. Estq́ꝫ Principes deceat, aliisq; nõ cõcesseris, & cõtra; supprimat Princeps & quilibet artẽ, quã rusticus edit ineptus, teste *Castal. aulico, Bodin. li. 4. c. 6. De repub.* vbi .n. ars ostẽtatur, ibi veritas abesse videtur, *Quint. lib. 9. Inst. c. 3.* Preter bonas artes, quib. imbuti viri principes esse debẽt, maius q.d, & excelsius in Principe requiritur, *Tacit. li. 3. ann.* Reprehẽ-

132 Artem supprimẽdam.

133 Quibus artibus principes operã dare debeãt.

dit, nõ probat Tacitus in Principe quod Nero viuidum ad inanes artes ingenium habuerit. Repetas Gracchos, Lentulos, Metellos, Scipiones, Lęlios, Põp. Cæsarẽ & infinitos alios Imperii Principes & veritatem nobis assistere videbis, *Isocrat. 4. Panathen. Plutarchus in vita Catonis, Laur. Grimald. De optimo Senator. lib. 1. pag. 26.* Ex hac schola promanauit Alexandri Magni fortitudo, Hannibalis calliditas, Fabii prouidentia, Scipionis prudentia, I. Cæsaris disciplina militaris, Sertorii, Marcelli, Alcibiadis audacia, Iugurthæ sagacitas. Illi omnes existimarunt cum Tacito tãtum amitti ex gloria, quantũ vltra tempus à Platone, Horatio, & Iustiniano Imperat. constitutum, nudis artium cognitionibus attribuitur; tales enim neq; dignitatem vllam autoribus suis conciliant, neque vtilitates alunt; voluptatem autem breuem, laudẽ inanem cõsequuntur, famę tantũ & opinioni inseruiẽtes. Rectissime Athenienses, *Elegãtes sumus, sed cum parsimonia; philosophamur, sed sine mollitie,* Thucyd. lib. 2. vt vix illud Ciceronis

134 Principibus viris philosophãdum, sed paucis.

Atheniẽses elegãtes cũ parsimonia, & philosophos sine mollitie.

ronis ad Piſonem habeat locum: Quã-tum detraxeris ex ſtudio, tantum amittes ex gloria. Verè Tacitus: Cætera vtcunque diſſimulari, ſed boni ducis imperatoriam eſſe virtutem, iuxta illud: *Tu regere imperio, &c.* & Pericles laudat Athenienſium Remp. ad bellum & pacem inſtructiſſimam. Principis itaque pręcipua ſcientia in eo verſari debet, vt bene regat populum, *Scipio Ammirat. lib. 13. diſcurſ. 9. Frachetta lib. de principe cap. 3. & 7. Petrus Gregorius de Repub. lib. 10. cap. 1. in princ.* & naturã & mores illorum intelligat, *Hipp. de Collib. in Princip. cap. 8.* Et de fœderibus quæ reliquis articulis publici iuris annumerauimus contrahendis, vel repudiandis cogitet. Pueris enim diſcẽda, quæ vſui eis futura ſunt quando viri euaſerint, *Plutarch. in apoph.* Prolixiori hæc materia non indiget commendatione; ipſa enim ſe oſtendit, vt IC. ait in *l. 1. De in integr. reſt.* quod rectius huic noſtro propoſito, quam paſſim aliis iuris partibus ſiue titulis à Dd. in infinitis commẽtariis accommodatur. Quemadmodum enim tractatio publi-

135 Principis præcipua ſcientia.

corum negociorum lōgè præualet priuatarum rerum explicationi, ita quoq; hæc accommodatio.

136 Vsum fœderis necessarium; & in fœderibus præstabilē esse scientiam.

Vsum verò nostrę Materię de fœderibus esse frequētissimum, publicū ac necessariū in omni imperio, Regno, Ducatu, Repub. nemo est qui nesciat, vt in prouocationū materia loquitur IC^tus in *l.1. de appellation. & relat.* quod nobis cō-
" firmat M. Tullius in *oratione pro Corn.*
" *Balbo*, dum inquit; Præstabilem esse sci-
" entiam in fœderibus, pactionibus, con-
" ditionib. populorum, Regū, exterarum
" nationum, in vniuerso deniq; iure belli
" & pacis. Ac Romanorum potentiā fœderibus cum vicinis initis plurimum creuisse, ibidem disserit: hinc etiā societates copiis ac reditibus annumerātur; *Dio li.38.* qui locus est singularis. Quæ in vsu, non sunt negligenda. Dignissima itaq; materia, quę plenius & copiosius illustretur, *argumēto l. legaui 25. De liber. le-*
" *gat.* Nemo enim, inquit meus *Plinius E-*
" *pist.14. lib.8.* tā patiēs est, vt velit addisce-
" re qd' in vsu nō sit habiturus. Præcipuè cū exiguæ veterū & recentiorū, quibus

137 Quæ in vsu nō sunt, negligenda.

enu-

enucleatè explicari poſſit traditiones, & quibus illuſtrari debeat, faces ſint accenſæ.

Quo verò fato & pacto ſtudium Politicũ ſuperiore ſeculo neglectũ quęris? Certè ciuilis ſciẽtiæ cognitionem deſciuiſſe ab iſta veteri gloria ſcias, nõ tam impia ingeniorum & deſidiâ iuuẽtutis, quã præcipientium inſcitiâ, negligẽtiâ docentium, tẽporis iniuriâ, (familiare enim ſemper fuit culpas ſeculis aſſignare.) Quod malum in Rempubl. inuectum licèt ſerò, tamen ſeriò curari nobis gratulamur, & prædicamus multorum conatum; quorum exemplum cõſtitui imitari, interim altercantium curam inquietam & inſolentes impetus, auſaq; deſpiciẽs, repetensq; illud *Columellæ lib. 1. De re ruſtica cap. 5.* Nullã artem vel diſciplinam eſſe, ſingulari ſimul cõſummatam ingenio. Cui aſtipulatur *Viues lib. 1. De cauſis corrupt. artium*, miſerrimum cenſens ingenium cui non plus poſterior dies, quam prior affert.

138 Studiũ Politicũ quare intermiſſum.

139 Autoris propoſitum.

Quod vt rite & recte fiat, tractatum quẽdam in certa digeſtum capita,

l.7. De capt. & postlim. reuers. & quæstiones totius materiæ medullã continentes, proponam ad *l.7. De capt. & postlim. reuersis* illustrandum. Quorum tractatuum non esse leuem vtilita-
140 Tractatus ordine conscripti vtiles. tem *Constãt. Roger. in proœm. Tract. De dot. Hugo* enim *Donellus*, optimus & facundissimus Iuriscõsultus in *Commẽtariis de pignorib.* attestatur, *Schraderus in præfat. Tract. feud. pag.2.* ICtus enim post philosophum in *l. de dol. mal. & metus except.* eleganti exemplo docuit, melius distincta cohęrere, & Caius in *l.1. De origin. iur.* Animaduerto id perfectũ esse quod ex
141 Ordinis cõmendatio. omnibus suis partibus cõstat. Nam ordo est res diuina in natura, sine qua cõstare non potest, *Scaliger de subtilit. exerc. 2. pag.7.* & ordo tractatus est de forma librorum, *Spannochius lib. 1. quæstion. in titul. De noui oper. nunciat. num. 10.* Ordo enim qui in contemplatione & actione
142 Ordo entium modus. consistit, est entium modus, *Bald. in l. 1. De orig. iuris. Negusant. De pignor. statim in princ. Menoch. De arb. iud. in præfat. num. 12. Nonius ad tit. De oblig. pag. 165. Sneid. ad lib. 3. Instit. Tit. 1. num. 1. Cotta in memorab. pag. 63. Peregrinus in præfat. De iure fisci. Borcholt*

in tra-

in tractatu feud. in prin. ex rerum natura potius quam ex nostro modo cognoscendi desumtus, *Francisc. Piccolom. in Comit. Polit. part. 5. pag. 992.* eoque non procedens, dicitur equum frenare per caudam, *Lãcellottus in l. nemo potest, de legat. 1.* ac agere contra naturam, cum ea, quæ secundum naturã fiunt, ordine nõ careant, *Aristot. 8. Phys. cap. 1.* & eo non seruato, sequi confusionem, *Ang. in l. 1. §. nũc videamus, De oper. noui nunc.* refert *Matagones de Matagonibus aduersus Italo Galliã, pag. 4.* Ordo enim cuncta benè disponit, *Balb. in tract. de præscript. pag. 7. num. 8.* & M. Tullio auctore *de orator.* Ordo expositione rerum maximum lumen adfert, *Blarerus in prothe. l. diffamari, num. 2. C. De ingen. manumiss.* nã omnia breuiora reddit ordo, ratio & modus, *Quintil. lib. 12.* Ordine firmatur memoria, & iudicium acuitur Quintil. teste, *Cõst. Roger. in tract. de dot. in præfat. num. 11.* præsertim in alienis; facilius enim propria quam aliena memoria retinemus, *Lancellot. Polit. de off. Aduocat. cap. 11.* vt non ineptè dixeris, ordinem esse vinculum artis, memoriæ

143 Ordinem ex rerum natura potius quam modo cognoscendi desumendum.

144 Ordinem cuncta benè disponere.

145 Ordinem õmnia breuiora reddere.

146 Ordinẽ esse vinculũ artis, matrem memoriæ.

ac intelligentiæ matrem, quæ memoriã reddat bonæ fidei custodem, deposita absq; mora reddentẽ. In summa, omnia ordine gerũtur, moderantur, cõseruantur, *Menoch. Consil.* 51. *volum.* 1. *num.* 1.

147 Omnia ordine, pondere numero & mensura cõstare.

Quicquid enim est in hac mũdi machina, quemadmodum vel in pondere, numero vel mensura, iuxta Salomon. consistit; sic etiam ordine, imò in inferno. Quamuis *Iob. cap.* 16. scribatur in inferno nullum esse ordinem, tamen hoc ideò dictum volũt, quod omnia ibi sint turbata, quantum ad se ipsa, non autem respectu prouidentiæ DEI, *Dionys. Carthus. in Dionys. Areopag. Cælest. siue Angel. Hierarchia, cap.* 4. *art.* 18. *pagin.* 62. Ego vero existimo infernum non ineptè in Salomone, pro *sepulchro*, intelligendum, in eoque nullum esse ordinem, *Victorin. ab Auersa de vanitate mundi, pag.* 385. Ordo itaq; tanquam singulare DEI donũ amandus. Ischomachus apud Xenophõt. in naui Phœnicũ, in qua omnẽ supellectilem, qua mortales vtuntur, secũ ferebat, sic collocatã vt inter se minimè impedimẽto, sed suo queq; loco reposita

148 Ordinem etiam in inferno seruari.

149 Infernum pro sepulchro accipi.

posita in prõptu esset: *Est*, dicebat mea mulier, *nihil tã vtile, neq; tã pulcrũ, vt ordo.* & ibidẽ Xenoph. lectorẽ in chorũ, in aciem, in triremẽ deducit. Nõ immeritò itaq; Regina Sabæ videns ordines ministrorũ à Salomone distributos, in admirationem ducebatur, *3. Regũ* 10. Hinc etiam ordo in consiliis & disputationibus seruandus, *Marianus Socinus in c. si diligenti, de foro comp. num.* 11. 151.

150 Nihil ordine pulcrius.

151 Ministros Salomon. in ordinem distributos.

Ordinem minorẽ & maiorẽ sacerdotalem instituit Moyses, *Exod. c.* 13. *24. num.* 11. *Deut.* 17. & ordinum diuersorum rationes tradunt *Concil. Trid. patres Sess.* *23. cap.* 17. Ordinem requirit in Ecclesia Apostolus, 1. *Corinth.* 14. *Coloss.* *2.* 1. *Tim.* *3.* *Danæus in Eth. Christ. lib. 2. cap. 2. pag.* 167. *Daniel inter Doctores cap.* 12. quem tamen ordinem tam in moribus, quam doctrina & officio contaminatũ licèt numero auctũ Banosius testatur, *c. 9. De Ciuit. Dei, p. 79.* in nouis ordinib. excogitandis plures fuere occupati, quã in disciplina apostolica Ecclesię cõseruãda. Vnde exorti sũt Cisterciẽses, Benedictini, Bernhardini, Ioannitæ, Hospitalarii, Tem-

152 Ordo Sacerdotalis.

153 Ordinem in Ecclesia necessarium.

154 Ordines varios excogitatos corporis exercitationibus, non doctrinæ spirituali operãdantes.

plarii, Teutonici, Pręmõstratẽses, Pauperes à Lugduno, Guilelmitæ, Gladiati, Humiliati, Cruciferi, de quibus nouissimè *Hospinianus*. Ordo verò, quamuis ad Ecclesiæ pulcritudinem & perfectionem pertineat, in eoque consentiant omnes pii, & mirifice in oculos hominum incurrat, mentemque piorum moueat; attamen non video, qua ratione firma inde Cardinaliũ probetur dignitas à Gabriele Palæoto viro doctissimo, in *cõclusione libri de sacro Consistorio, membro 5. pagina 431.* Nam loca adducta ex *cap. 4. Ephes. 2. Tim. 2. Rom. 12.* diuersissimam cõtinẽt sententiam, & ipse volt Cardinales Regibus comparari & Electoribus, *arg. l. Quisquis, C. Ad l. Iul. maiest. ibi, pars corporis,* &c. quibus tamen in Ecclesia CHRISTI, Christi dico officium Sacerdotale nõ commissum aliud, quam vt nutriant matrem Ecclesiam: si quælibet potestas, quilibet ordo contentus fuisset & adhuc esset suis limitibus, & vnus alterum coadiuuasset; sicut facere tenentur, puto quod pax esset in vniuerso orbe, inquit *Alber. de Rosat. referente*

155 Cardinaliũ dignitatem non probari ex ordinib. Sacerdotalibus.

ferente Molin. in Edict. contra paruas datas, pagin. 199.

Prudens, in aula, in prouincia, in ditione, in ciuitate, in fisco ordinem obseruet: vnde Respub. ordo definitur, *Casus in sphæra Ciuit. lib. 3. cap. 4.* Hinc tot imperiales, Regiæ, Electorales & aliorum Principũ, Ecclesiarum, Ciuitatum, Academiarum, Syluarum, venationum, piscationum, metallicarũ fodinarum, vt & in vestimentis; neque enim decorum & æquum est vt vir consularis iisdem vestimẽtis vtatur vt Augustus, nec simplex nobilis vt Consiliarius Regum Principumque; vel ciuis, vt nobilis vel equestris, *l. vlt. C. de vestibus holoser. & auratis.* Hinc ordo iudiciorum, ordo executionum, ordinis exceptio, *Rebuff. in l. 259. §. manus, de verb. sig.* & ordini in his requisito non possit renunciari, *gloss. in c. de causis, & ib. Felin. De officio delegat. Colerus de process. execut. par. 1. cap. 5. num. 30.* & ordinis omissio vitiat actum, *Schraderus de feud. part. 10. sect. 14. num. 42.* an etiam executionẽ sententiæ, discrepantes sunt opiniones, *Schraderus De feud. par. 10. sect.*

156 Variæ ordinationes, monetarũ & aliarum rerum ordinationes, vt & in vestim.

157 Ordo iudiciorum & executionis.

14.*num.* 43. Hinc ordo inter creditores, *tot.tit.Cod. & Pandect. Qui potiores in pign.* & ordinis tanta est vis, vt ab eo licitè ar-
158 Ab ordine argumētari. gumentemur, *Eberh.in Top.loco ab ordine, num.* 1. quamuis ordo verborum solus nō inducat decisionem iuris, *l. nec enim, de solut. l. 42. l. seq. De hæred. instit. Bald. in*
159 Ordinem verborum non inducere decisionem. *l.*1.*C. De his quæ pœnæ. & l.fin.C.de hær. institu. Socin. cons.* 227. 2. *Part.* Vnde iam in Imperio receptū axioma, Ordinem subscriptionis in recessibus Imperii nemini preiudicare, quēadmodum inuersio ordinis in prestando fidelitatis iura-
160 Inuersionē in fidelitatis iuramento non nocere. mēto nō nocet, per ea quæ tradit *Schraderus De feud. part.* 5. *cap.* 3. *n.* 5. Sic in re militari nihil melius & maius ordine: cōfusio.n. in bellis, preterquā qd periculosa, gerendis quidē rebus maxime cōtraria, *Demosthen. in orat. in Philip.* 1. *Iouian. Pontan. lib.* 1. *Histor.* vnde Romanos inter delectum arma, aciem ac disciplinam or-
161 In re militari ordinē obseruandum. dinem numerasse, obseruauit *Lipsius lib.* 5. *De milit. Rom. Dialog.* 20. *pag.* 355. *Onosand. De re mil. cap.* 22. 61. 73. 77. *Hippol. de Col- lib. in Princ. c.* 16. Vnde Cæsar de Ariouisto apud Dionem, quis nescit nos ratione &

ne & ordine vti, illos, Germanos ſcilicet, incõpoſitos, irâ ad omnia ruere, *lib. 38*. Eſt & ordo dignitatis in militia, & is ordo latiſſime patet, cum eo etiã Comites, Marchiones & Duces ipſi comprehẽdantur, *c.1. Quis dicatur dux. li.1.* Landtrecht / art.1. quamuis non pauci iiq; magnæ autoritatis negent Ducem & Imperatorem gradum conſtituere dignitatis militaris. 162 Ordo militaris dignitatis.

In ſtudiis inprimis ordo requiritur, *Gal. lib.1. de conſt. med.* vbi inter alia ad ſtudia inſtituenda neceſſaria ordinem recenſet, quæ *Zwingerus in præfat. Gal.* Sic referente Weſenbecio in *tract. De ſtudio iuris*, complexus eſt. 163 Ordinem in ſtudiis requiri.

Ingeniũ, method⁹, labor, educatio & vſus,
Præceptor doctus, veri etiam ſtudium.

Et Marſilius Ficinus, quę pręcipue in ſtudiis requirãtur, oſtẽdit *de ſtudioſorum ſanitate tuenda, lib.1. c.1.* Sine certa enim ratione & ordine temerè in ſtudiis vagantes, veluti cæci & viæ ignari errant. *Dauid Chytræus De ration. diſc.* Eleganter ordinem commendat Poeta:

Ordinis hæc virtus erit & Venus, aut ego
fallor,

Vt iam nunc dicat, iam nunc debētia dici:
Pleraq; differat & præsens in tempus omittat;
Hoc amet hoc spernat.

Quæ dicta de ordine siue methodo (quamuis differant subtiliter dicendo, *Zabarella lib.1.c.3. de method.139.*) omnia, eô pertinent, vt non tantum sincera ac integra mente & toto pectore arripiēdas bonas artes sciamus, sed etiam rem militarem & omnes scientias optimo ordine in vniuersum discamus, & intelligamus non malè IC. & interpretes iuris, vt dixi, locum argumentandi ducere ab ordine, quamuis *Paulus Aleander* & alii notent hos logicos. Verum istorum logicorum contentiones, bile ista relicta, detestamur cum Petrarcha *lib.1. Epist.6. post Diogen. Laert. & Agellium.*

164 Interpretes rectè contra subtilitatē logicorum, locum argumentandi ducere ab ordine.

Cæterum quamuis in Politicis actionibus regnet regina eloquentia, dicēdi facultas, splendida ambitio, ostentatio ingenii & plena docendi & dicendi ratio, qua rudes & tardos excitet, commoueat, & quasi cogat, tamen contractam istam, veste spoliatam rem ipsam sim-

165 Eloquentiæ vis.

simpliciter, nude & enucleate explicã-tem, atque rerum argumenta, quæ non sunt ignoranda, proponentem, hoc in argumento præferendã arbitror. Ea e-nim ratione ad finem rei, cuius cogni-tionem quæris, melius peruenies, & o-rationis errorem occultũ, facilius de-præhendes. Longa enim oratione ple-runque mortales fucum faciunt, nec fi-des Asiaticæ verbositati adhibenda est, *Thucyd. lib. 5.* admonẽte. In causis Impe-rii agendis, in negocio Principis expe-diẽdo publicè, in populo persuadendo & cõmouendo, sis suauis, blãdus, incõ-præhensibilis, locuples & purus, facũdia arma acuens. Quo.n. purior, eò terribi-lior eloquentia; ita tamen vt non tã ver-borum numerus, quam pondus appa-reat. In omni enim oratione non tam multitudo verborũ sine ratione, quam vis ac potestas est attendenda, *Politian. de off. aduocati, cap. 11. num. 11.* Et nulla est disciplina ex qua maiorem nominis e-xistimationẽ comparare possis, *Petrar-cha lib. 3. Epist. 23.* post Isocratem in Ora-tione 4 Panegyrica, in quam rem mul-

166 Contracta nuda ac simplex o-ratio in rei expositione melior ple-na dicendi ratione.

167 Fidem Asia-ticæ verbo-sitati nõ ad-hibendam.

168 Eloquentia vbi, & qua-lis requira-tur.

169 Eloquẽtiã esse Reginã artium.

ta congessit *Rulandus Tract. de Commissariis, c. 15. ex Cæsar. Rat. in discurs.* Si ea recte vsus fueris, nihil est in rebus mortalium, quod post salutem ęternam & virtutem, magis generi humano cõducat. Non lorica aut gladius in acie, siue bõbarda firmius munimentum quã Reip. principi, populo, ciui periclitanti, elo-

170 Maius præsidium in eloquentia ac in armis.

quentiæ præsidium, simul & telum, quo pugnare pariter & incessere vbiq; possis. Quis est qui non admiretur summam Ciceronis magis facundi, quam viri boni nomen affectantis? *Dio in Clodio libr. 38.* Eloquentiam, vim in dicen-

171 Summorũ Oratorum admirãdæ in dicendo dotes.

do Demosthenis, copiam Platonis, suauitatem & Isocratis ingenuitatem, Cęsaris facultatem, Cęlii indolem, subtilitatem Callidii, grauitatem Bruti, acumen Sulpitii, acerbitatem Cassii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatẽ Calui, Senecæ auream copiam, vires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Crispi, elegantiam Secundi, vt *Quintilianus libr. 12.* iudicat. Quis est qui non admiretur & magnifaciat illum, qui de omni quæstione

ſtione pulcrè & ornate, & ad perſuadendum aptè dicerepro dignitate rei, ad vtilitatem temporum cum voluptate audientium queat; vt ſtulti ſint, qui hodiè in Principibus, militibus, Capitaneis, Ducibus belli, Politicis & Iurisperitis, iudicibus, eloquentiam reformidant; & in paucos ſenſus, & anguſtas ſententias, militiam ampliſſimam, & ſanctiſſimam Iurisprudentiam detrudunt, velut expulſam regno ſuo & omnium artium dominam pulcerrimo comitatu priuatam: In duce & imperatore belli probat ex Tacito, Plutarcho, Suetonio, Salluſtio, Liuio eloquentiam *Scipio Ammiratus libro 12. Diſcurſ. 4. pagina 251. ad Corn. Tacit. Boterus de ſtatu, libr. 6. pagina 175. Bernhardus Felicianus De optim. imper.* Quēadmodum enim armorum, ſic eloquentiæ luxus vtilis eſt in militia, *Plutar. in Philopœm.* ineptè in Theologis, *Petrus Gregorius lib. 17. c. 2. n. 11.* improbat eloquentiā. Imo eloquētiam non indignā Eccleſiaſticis viris, vel ex eo confirmari exiſtimat Gabriel Paleottus, ꝙ e-

172 Stultos eſſe qui eloquētiam in militibus & iudicibus reprehendāt.

173 Ducem belli eſſe debere eloquētem.

174 Ecclesiastici s eloquentiam non indignam. loquentia Christi, inter reliquas eius virtutes numeretur, *Palæot. De sacr. consist. par. 5. quæst. 2. pag. 271. Granatensis Tom. 4. Concion. Dominica 3. post Pentecost.* In milite propterea: nam vbi inest belli pugnæq; cupiditas, ibi etiam opus est gratia & persuasione, *Plutarch. Pelopida.* In Cõmissario etiam requiri eloquentiam putat *Rulandus Tract. de Com. lib. 1. cap. 15.*

175 Abusus eloquentiæ. Si abusus, ô multa indigna, ô multa nefanda, ô multa perniciosa, ô sociã scelerum, ô perniciem Rerumpub. ô aduersam innocentiam, ô versutiam immundam, ô cognitionem pestiferam, & diabolicam, improbandam, detestandam, abiiciendam, *Petrus Gregorius lib. 17. De Repub. cap. 2. num. 9. ex Gel. 1. cap. 11. Val. Max. 8. cap. 9. Cicer. 3. De or.* Et ita accipio M. Tullium *lib. 2. De natura Deorum* differentem. Et qualis orationis vestis esse debeat, monstrat nobis *Quintil. lib. 4. cap. 2.*

176 Breuitatem in docendo amandam in iustum. In docendo & demonstrando iugulum premas, *Plin. lib. 1. Epist. 20.* & potius πολύνοιαν quam πολυλογίαν sequaris, *Cuiacio teste in præfat. obseruat.* & breuita-

ti ita ſtudeas, non vt minus, ſed ne plus dicatur, quam oporteat, *Quinct. libr. 4. Inſt. orator. pag. 240.*

Ego in hoc tractatu aliena non adducam, vel admodum pauca, iucunda tamen, morem repudians illorum, qui 177 inſanos Commentarios & craſſos, craſſi ſcribere cupiunt, iisque non tantum Germanos, verumetiam Italos, Gallos, & aliarum nationum homines, contrà quam falsò voluit *Bodinus in method. hiſtor. pag. 143.* annumerò. Mirum cur Bodinus varii iudicii, variæque relligionis homo, hanc notam Germanis tantum, omiſſis Gallis, Tiraquello & aliis, inurere voluerit, vel malitia vel inſcitia: 178 Scit vero, qui & quomodo Hiſpani, Itali, Germani, Galli ſcripſerunt, malitia itaque.

Et Gallos & Italos & Hiſpanos non tãtum Germanos ſcribere Commentarios craſſos.

Bodini malitia in Germanos.

179 Doctores & interpretes iuris ſæpius non inutiliter inculcãt, materiã quamlibet in locis propriis tractãdam, *Socin. in c. 2. num. 4. De libell. oblat. Bald. in l. falſus, C. de furt. arg. l. imperator, De in diẽ addict.* 180 Ipſi tamen in legem quam natura, & ex ea ſumta Logica præcepta ſtatuerunt,

Quamlibet materiam in locis propriis tractãdam.

Dd. ipſos in propria præcepta peccare.

extra chorum variè ſaltantes, peccant, tum aliena à propoſito; tum infinita non neceſſaria tractando: cum tamen
181 *Omnia docētem malè docere.* omnia vno in loco qui docet, malè doceat, Chryſoſt. teſte, quem refert *Duarenus in Tract. De benef. Eccleſiaſt. in princ. & Galenus in explicat. aphoriſm.* Non eſt docentis omnia ſimul docere, ſed ſingula ſuis in locis deſignare conuenit. Tradentis enim dogma, non eſt ſingula perſequi, *l. Gallus, 29. §. idem credendū, 2. De liber. & poſt.* & verboſa interpretatione omiſſa, interpretationem dirigere debemus in materiam propriam, *Iuſtinian. Imper. in tit. Inſtit. Quod cum eo qui in alien.*

182 *Media via.* Mediam itaq; viam quam noſtri paſſim commendant, *l. 3. ſi pars hæred. l. 6. De negoc. geſt. l. 7. vt legat. §. cum ergo, Inſt. Quibus ex cauſſ.* In hoc argumento, non in aliis articulis politicis Gebhart.
183 *Mediam viā in politicis non ſemper negligendam.* in Fürſtlichen Tiſchreden, *libr. 1. capite 7.* vbi hoc probat ex *Liuio, Guicciard. libr. 26. Cappell. libr. 1. Alber. Gentil. libr. 3. De iur. bell. Ayala De iur. & off. bell. libr. 1. cap. 2. cap. 19.* tenebimus hîc dico; tum

nonnunquam in politicis. Cautio enim est, non regula vniuersaliter vera, dum Liuius monet mediam viam relinquendam, quam etiam notat propheta Dauid *Psalmo 4.* sceptrum rectum exigens. Hunc laborē neq; nostræ gentis tantum, neque nostrorum temporum, sed posteritatis gratia suscipiam: Paucis enim, Seneca autore, natus est, qui tantum populum ætatis suæ cogitat, non dicam multa annorum millia præteritorum, sed populorum qui superuenient; hi, quia timidi non erunt, neque forsan corrupti affectu, magno consensu res relictas diiudicabunt.

184 Posteritatis caussa hūc laborem etiam susceptum.

Et quemadmodum posteritati hæc relinquimus, industrium agricolam arbores serentem, quæ alteri seculo prosint, secuti; ita ex antiquorum monumentis, nostrā sumamus cognitionem, historicis inprimis. Nō est enim quod quis expectet aliud, quam eorū, quæ lōgè lateque dispersa confuseq; distracta reperiuntur, ordine aliquo, vti dixi, contextum tractationem omniū oculis

185 Ex antiquorū monumentis nostram sumendam cognitionē.

subiectam. In ea enim firmiter hære-
186 Nihil dici, quod non dictũ prius. mus opinione, *Satius esse ex variis prudẽtiæ auctoribus optima quæq; congerere, quam propriæ industriæ viribus excogitata periculosè proferre:* inprimis cum nihil dici, imo excogitari, in hac vltima mundi senecta possit, quod non maiores nostri à primo conditi mundi tempore exactè pensicularint, prudenterque ac grauiter nobis per ora, per manus, perq; scripturam reliquerint.

187 Raro politicos vsum fœderum tenere. De vsu magno, quod gloriemur, nõ habemus; terminamur enim breui huius vitæ circo, quippe antequam duo vel tria fœdera firmiter contrahimus, vixque imperiorum formas, leges, mores, cautelas notamus, consideramus euersiones & conuersiones, euertimur ac fati munus implemus: quæ tamen obseruauimus, liberaliter bonis communicabimus.

188 De infinitus non posse nimiũ scribi. Multos multa de fœderibus scripsisse dices, & ego inficias non ibo: cùm vero in infinitis & singularibus consistat hic prudentiæ articulus, existimo de infinitis nõ posse nimium scribi aut dici.

Ope-

Operam dabo, quæ hîc dicuntur 189 noue, ne noua dicãtur, hoc est, inaudi- Nouè non noua. ta, quæ nulli prudẽtum antea venerint in mẽtem, ne videamur in hac disputatione à veterum auctoritate desciscendo comminisci aliquid noui, atque adeò nos etiã νεοτεροποιοῦντες: operam dabo, inquam, ne in illa hæresi reperiar, quæ asserit: *Licere Principi omni medio, ac* 190 *via vti semper, etiam execrabili, perniciosissima simul & impurissima, vt propriam tueatur ditionem, autoritatem ac ius regnandi, siue leges violet, siue relligionem corrumpat, siue subditos opprimat, siue vicinos iniustè vexet.* Execrabilis via longa ruina.

Breuis via, longa ruina.

Omissis ergò vmbratilibus Musæ an- 191 gustiis, in quibus satis superq; sudatum est ab aliis, sanctiorem hanc augustiorem nobilioremque prudentię partem colam, &, si potero, excolam; quæ sicut flamma oleo alitur, motibus & praxi ipsa excitatur, & agẽdo clarescit. Velim esse & existere, qui ætate, iudicio ac experientiâ meliora in hoc argumẽto tractent, esset hoc ex re Reipubl. & nomi- Nobilẽ partem sciẽtiæ colendam.

ni meo aliquid accederet, si à me hoc conatu excitati dicerentur: antequã autem illi proderint, sufficiat hic simplex labor, quem intelligere ac iudicare, tãgere & tractare non poteris sine vsu. Omnium fere est scire, sed non omniũ agere. Vsus & praxis, vt in aliis infinitis, multum prodest, sine scientia, & plus quam scientia, sine praxi, vt Quintilianus docet. Praxis enim artificem reddit promtum, ars facilem, natura potentem, *gloss. in c. Quæ sit. De elect.* quæ citat Arist. latè *Martin. Monterus in Decision. præfatione nu. 19. pag. 5.* & vir ciuilis, vereque sapiens, qui se non ociosis disputationibus, sed administrationi Reipub. dedit, à quo longissimè, qui hodiè Philosophi vocantur, recesserunt, actuosam & nõ simulatam philosophiã nesciẽtes, de his omnibus rectè iudicabit. Sed iã paulatim ꝓpius ad rẽ ipsam: Cur videlicet olim ꝓpositis conuentionum speciebus, in *l. conuentionum, 5. De pactis,* omissa sit publicarũ conuentionũ tractatio, variè disputant.

192 Omniũ esse scire, sed nõ agere.

193 Praxis.

194 Veri philosophi.

195 Conuentionũ publicarum tractatio cur omissa in tit. De pact.

Nõnulli hoc factũ putant, quod non soli-

soliti sint respõdere ICti de arcanis Imperii: alii, quod nihil separati iuris habeant publica à priuatis, sed eâdem regulâ æquitatis nitantur, *Cabotius libr. 1. cap. 1. Libr. 2. De iure publ. cap. 10.* Neutra arridet. Licêt enim non omnia ad ius publicũ pertinentia tractarint ICti Romani; cum in vsu non fuerit necessarium, M. Tullio, 1. *De legib.* teste; & tanquam Imperii arcana, hoc est, profundæ, intimę, secretę leges, status, vt interpretatur *Scipio Ammiratus lib. 12. Discur. 1. ad Tac.* Galli vocant *l' Estat*; Itali, *il stato.* Germani, **die geheime des Reichs.** & arcana Imperii sunt distinguenda ab arcanis domus; ab arcanis dominationis; doctè obseruata amico nostro opt. *Scip. Gentili in orat. De l. Regia.* non omnibus sint proposita, tamen multa capita, quamuis ordine congruo & logico non seruato explicarunt, de iisque respõderunt ICti & rescripserũt Impp. Hinc Tubero ob cognitionem iuris publici commendatur *l. 2. §. post. De origin. iuris.* cum ipsi fori versura displicuerit, forenses mercedulas declinanti, *Zas. in d. l. 2. §. post. n. 8.*

196 Rationes diuersæ prędictæ rei.

197 Imperii arcana.

198 ICtos Rom. de multis, non omnibus publici iuris articulis respondisse.

199 Tubero publici iuris peritus.

200 Iuriscõsultos tractaſſe multa capita iuris publici.

Tractarunt, inquam, de relligione, de iure Sacerdotum, Epiſcoporum, magiſtratuum, de iure fiſci, de re militari, de fœderibus, de legationibus, de nundinis, vt videre licet in *Pand. & Cod. libris.* & ſcripſit Labeo de verbis pontificalibus libros ſexaginta octo; Trebatius relligionum libros nouem; Neratius Pontificales quæſtiones, referente *Frehero lib.1.Parerg. cap.30.* Reſponderunt itaq; prudenter Romani, vt plurimum, de iure priuato, quandoque de iure publico Imperatoribus concedentibus.

201 Imperat. ſolum habere poteſtatem belli gerendi.

De pace & bello forſan nulla ratione licuit: cum Imperator ſolus bellandi & pacificandi poteſtatem, tum gerendi & finiendi habuerit, *Nouella const. 105. in prin. Bodin. lib.1. De Repub. cap.10. per l.1. C. vt arm. vſus priuat.* Quin etiam ad politicum pertineat pacis & belli tractatio,

202 An ad politicum pertineat belli tractatio.

dubitandum non eſt: cum cohæreant & diſiungi non debeant; cuius ſententiæ auctorem habemus Platonem, cui hac in re potius ac Ariſtoteli ſubſcribendum; niſi forſan dixeris Conſiliarii politici non eſſe principem ad bellum ſuſci-

ſuſcipiendum hortari. Sunt tamen qui parui lucelli cauſa, ſuis cõſiliis Principes in multas belli clades coniiciant, *Demoſthenes in oratione De pace. Athenæus lib. 7. c. 17. Petrus Gregorius De Repub. cap. 12.* vt ipſi poſtea cõſiliariorum improbitatẽ malorum, & bonorum integritatem cognoſcant. Non probanda ratio Cabotii, opinantis omiſſam in libris ICtorum & Impp. reſcriptis, iuris publici explicationem, quaſi eadem æquitate nitatur conuentio publica ac priuata. Pace Cabotii, hominis, vt ego puto, de ſchola, dixerim, longè aliam naturam, rationem ac regulam æquitatis harum & publicarum pactionum, trãſactionum, componendarum controuerſiarum, iniuriarum, nuptiarum, finium & penè infinitarum rerum, aliam etiam tractãdi rationem. Tralatitium eſt, & ICtis notiſſimum axioma, in certis partibus iuris: *Quæ ab initio non conſiſtunt, tractu temporis non conualeſcere.* Regula ſc. Catoniana, *l. Quod initio 29. De Regulis Iuris, c. non firmatur. 18. De Reg. iuris in 6.* Perdit omninò in politicis ac iure publico

203 Non eſſe eãdem rationem publicarum ac priuatarũ conuentionum.

204 Regulas iuris priuati non omnes habere locũ in Regnis.

204 suum officiũ. Ex pessimo .n. initio paulatim optima & amplissima oritur Respubl. in qua suprema lex censetur, SALVS POPVLI, *Bodin. lib. 2. De Repub. cap. 5.* Et hinc rectè *Dio lib. 63. histor. Rom. pag. 733.* Otto imperium, quod cum magno scelere inuaserat, pecuniâ & malis artibus occuparat, cum maxima virtute deposuit; vel qđ nequissimè rapuerat, de eo optimè decessit. Licèt non negarim, fœdera & cõuentiones Principũ in Imper. Romano hodiè, vt plurimũ, exponẽdas ex lege, ex ratione ciuili, cũ iuri Romano sint subiecti, *l. Quædã 132. De ver. obl.* vt prolixe exẽplo proscriptionis in vetustis caussis probat *Alber. Gent. li. 1. c. 22. De iur. mil.* Vt plurimũ, dixi; tẽpore .n. belli & fœderis cõtrahendi, sæpius à Regulis iuris recedimus, necessitati ac mortaliũ imperio inseruiẽtes. Omnẽ .n. rigorẽ in huiusmodi explodendũ dicebat *Bald. De pac. Const. Alciat. cons. 12. nu. 31. lib. 5.* Respublica namq; si prospero successu vtatur, etiam priuatorum omnes calamitates potest subleuare, *Dio li. 38. p. 82.* Pragæ scripta An. 1593. mẽse Augusto. Repetita 1594. Ratisbonę in Comit.

Regulas iuris priuati non omnes habere locũ in Regnis.

CAP. II.

Fœdera certo modo concessa in Repub. necessaria ac cautè contrahenda.

CVM primò Deo optimo max. fœderũ nexus omninò sit tribuendus, fœderũ origine fabulosa explosa, extra omnem controuersiam esse iudico, id maximè sequendum, cuius autorem & auctorem habemus Deum, totũ mundum gubernantẽ, & diuina organa, Patriarchas, & Reges præceptis diuinis imbutos, spiritu Domini ductos magistros, cuiusq; vtilitatem, necessitatem, honestatem, probarunt omnium Monarchiarum numina & lumina, ac ferè denique omnium gentium vsus communis, qui probat res quandoq; penitus desperatas, vinculis fœderum sæpius conseruatas.

1 Id sequẽdũ, cuius auctorem & autorem Deũ, & omnium gentium communẽ vsum habemus.

Et ne in his rebus arduis in humano testimonio, diuinis Pandectis neglectis confidere, & acquiescere videamur, necessariũ arbitror demõstrare, Deo non

2 Fœdera humana Deo non displicere.

displicuisse fœdera humana & tantum illegitima in scriptura sacra damnari. quod, vt plenius appareat, altius res ipsa, & quidem à spirituali fœdere inter Deum & hominem erit repetenda.

3 Negotium altius & à spirituali fœdere inter Deum & hominẽ repetẽdum.

Primi fœderis prima promissio facta est, cum Deus primorum parẽtum misertus, salutem, dignitatemque generis humani amplificandam in se recepit; quod fœdus rursus malitiâ hominum interruptum fereque finitum, ex singulari misericordia diuina, cum Noe renouatur & restauratur, post diluuium signo illustri addito, *lib.1. Moys.c.9.* cum Abrahamo *lib.1. Moys.cap.16.* & quidem perpetuum cõstituitur: & hoc est illud fœdus, quod in sacras literas relatum ad Messiam & Saluatorem nostrum illibatum defensum, à Christo ipso, contra Satanæ imposturas & insidias sępius renouatum est; vt scilicet, Deus humani generis Deus sit vnicus, cuncta illi suppeditans, ac per Christum perficiens, & bona cælestia ac terrestria, quatenus conduxerint, communicans: mortales verò reciprocè hunc Deum solum, &

4 Fœderis spiritualis formula.

præ-

præter eum nullum, nec vllam creaturam agnoſcant, vni fidant, vnum amẽt, vnum venerentur, vnum adorent, in eo colendo, inuocando, amando, timẽdo perſeuerent, illius mandata ſtrictè ſeruent, *Morn. De veritat. Relligion. cap. 20.* in iisque obligationis vinculis poſitum ſit hominum ſummum bonum, finisque hominis, qui eſt Gloria Dei, ſapiẽtia omnis, *Lact. lib. 3. cap. 30.* Sapientia præcedat, cultus ſequatur: Quia prius eſt Deum ſcire, cõſequens, colere, *Lactant. lib. 4. c. 4.* Vanus enim omnis cultus, qui caret cognitione vera, *Iohann. 17. cap.*

5 **Summum bonum & finis hominis.**

Fiunt itaque hæc fœdera propter ſalutem hominum æternam cum Deo, iuxta leges verbo Dei præſcriptas, non iuxta traditiones aliorum, quo verbo Deus ſibi obligat in æternum electos, ac vocatos ad ſocietatem Eccleſiæ, *Eſaiæ cap. 59. 51. 31.* & quidem absque diſcrimine, vt infrà dicam. Deinde hoc fœdere etiam inter ſe reciprocè obligantur mortales in Eccleſia & vocatione, ad omnia opera caritatis bona præſtanda.

6 **Fœdus ſpirituale contrahi iuxta verbũ Dei.**

7 Fœdus ſpirituale ſigillis cõfirmatum.

Hoc itaq; fœdus quod Deus cũ hominib. cõtrahit, quibuſdã ſigillis eſt obſignatum, quæ à nobis prout voluit, & conuenit, vſurpari recipique debent; nec tantum, vt dixi, cum vna certa gente contrahit, ſed omnes absque vllo reſpectu, conſortes fieri poſſunt huius fœderis, quos ſpiritu ſuo mundat Dominus, D. Auguſtin. quod confirmat *Sermon.* 54. *De temp.* Et hoc ex eo, quod non vnius duntaxat, ſed variorum generum animalia, ſacrificio fœderis adhibuerint, W*olfg. Muſcul. c.*15. *libr.* 1. *Moyſis, pag.* 376.

8 In hoc fœdus omnes gentes recipi.

9 Appellationes confœderatorum ſpiritualiũ.

Hi confœderati dicuntur fideles, ſi fœdus obſeruant, relligioſi fratres, liberi à ſeruitute, filii Dei, Heredes Dei, cohæredes Chriſti, palmites, luminaria mundi, renati, ſpirituales, Sacerdotes, Reges, templa Spiritus Sancti, Vaſa miſericordiæ, Conciues ſanctorum, opera manuum Dei, Heredes mundi, Benedicti, Pacifici, Beati, mites, humiles, Domus Dei, Aquilæ, & ſunt in Eccleſia, & ipſa in ipſis, *c. ſcire.* 7. *q.* 1. Et quãuis religio à relegẽdo videa-

tur

tur dicta, *Dd. in §. relligiosum, Inst. De rerũ diuis. Forcat. 12. Dial. n. 6.* nõnullis, à relinquendo, *Gell. lib. 4. c. 9. Cic. De natur. Deor. lib. 2. Macrob. lib. 3. c. 3.* Aliis, à religando, *Lactant. De vera sapient. cap. 28. Baro in d. §. relligiosum, Alciat. 2. Parad. cap. 4.* tamen concinnius à *ligando* dicitur, *Bulling. in compend. Christ. relligio. lib. 2. cap. 8.* Est enim quasi liga sancta inter Deum & hominem: obligat enim hominẽ ad fidem & disciplinam. Fides est omnis religionis potissima pars. Disciplina vero est custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonę indolis, magistra virtutis, facitq; in Christo manere semper, ac iugiter Deo viuere, & ad promissa cælestia & diuina præmia peruenire, *D. Cyprianus in prin. De discipl. & habit. virg. pag. 207.* Omnia enim nostra bona in cælo quærenda.

10 Relligio vnde dicatur.

11 Relligionẽ obligare hominem ad fidem & disciplinam.

Cæterum fœdus Dei cum hominibus non potest esse firmum, nisi cum fidelibus, *Gen. cap. 17. ibid. Musculus pag. 401.* Licèt benignitate incredibili ferat Deus infirmitatem confœderatorum.

12 Fœdus tantum firmũ cum fidelibus.

Debet itaq; multo magis inter fratres infirmos vni Deo addictos, pax & cõcordia perpetuò seruari; quod etiam sanctæ communionis institutio suadet. Verum quam variè in eo peccetur, dies ostendit, & historię testantur, potentissimos quosque Christianos, etiam singulari fœdere cõglutinatos, partito sacræ cœnæ, in hunc finem tamẽ non institutæ, pane, leuissimo prætextu à fœdere generali & speciali discessisse.

13 Firmus infirmum ferre dicitur.

Ex præmissis iam infero, neminem vi humana & armis cogi debere, nec firmiter posse, ad fœderis cõiunctionem, quæ est inter Deum & hominem. Nemo .n. cogitur vt credat inuitus: quod dilucidè probat ille, sit Albus vel Niger, qui annotationes scripsit ad *acta Coloniensis pacificationis, Anno 1579.* inter Hispaniæ Regem & Ordines Belg. institutæ, *pag. 84. 85.* eleganter *Gentilis lib. 1. De iure belli, cap. 10. P. Gregorius De Republ. libr. 12. cap. 4. num. 11.*

14 Neminem ad relligionem cogendum.

Nulla quippe est maior Tyrannis, quam imperare velle conscientiis, *Maxim. 11. Imper. optim. dicente.* Reges enim sunt

ſunt Reges & domini populorum, non animarum, vt dicere ſolitus eſt Stephanus Rex Poloniæ. Quanta enim eſt im- 15
pudentia velle ius dicere, vbi non eſt fundata iurisdictio, vel extra territorium. Conatus inanis, irritus. Gladio enim, igne vel exilio nihil efficis; hypocritas inſtruis metu, & ſeminarium ſanguine condis:

Igne, gladio, exilio in cauſſa relligionis nil effici.

Stringe enſes, accende rogos, effunde cruores
Innocuos: ſuffoca vndis, in viſcera terræ
Defodito, horrendùm! viuos vel in aera fracto
Gutture ſuſpende, aut pedibus manibusq; ligatis
Poſt tergum, lento ſuſpẽdito deſuper igni:
Vſq; adeò, vt quod ſit, quæuis elementa per orbem
Conſcia ſint lanienæ huius, ſtragisq; piorũ.
Nil tamen efficies: hæc ſunt plãtaria regni
Iſtius, olim etiam vatũ humectata cruore.
Et vitiũ inſanũ, ſi adamãti robore certet!
Et muſcam infauſtã! vt grauiter Poeta canit. Quantum enim interſit armis quam verbis relligionem introducas,

benè obseruauit *Crancius libr.3. Wandal. cap.35.* Ibi enim, inquit, gladius nō sęuiit, de Rugianis agens, sed sancta diu pręedicatio: vndè factum est, vt & tardius proficeret, & tenacius retineretur accepta relligio; licèt idem autor *libr.7. Saxon. c.13.* sentiat, paganos armis potius, quā verbis subigendos.

16 Priuati arma contra non confoederatum.

Secundo infero, priuato non concessum arma alia sumere contra alium, spirituali foedere non coniunctū, quam quæ *D. Paulus ad Ephes.6.* describit.

Quod vero nonnulli ex eruditis voluerunt in caussis ad gloriam Dei pertinentibus, indistinctè nō pangenda foedera, absolutè dictū, tam falsum est, quā falsissimū. Tertio infero, Aristotelem aliosq; multos, inter quos est Antonius Vacca, errasse, affirmantes ratione propagandæ relligionis licere contra Ethnicos & paganos assumere arma; in quo *Couarruuias* & alii nobis consentiunt. Concessum verò Regi contra Regem, ratione religionis bellū inferentē, vel etiam subditis non omnimodò subditis, pugnare, eiusq; iniustam vim repellere,

17 Arma num sumenda propagādæ relligionis gratia.

pellere, infrà demonstrabimus, & eam quæstionẽ explicabimus, *An infidelibus liceat bellum inferre ob peccata contra naturam commissa*, quam etiam Vasquius tractat *illust. quæst. lib. 1. quæst. 24.*

Verum iam lõgius & ad fœdera humana progrediamur, vt appareat fœdera etiã ciuilia, iure diuino legitimè contracta non improbari. 18 Ciuilia fœdera diuino iure nõ improbari.

Firmatum primum scimus fœdus sociale inter Abimelech & Abrahamũ, iureiurando, *libr. 1. Moys. cap. 21.* inter Isaacum & Abimelech continuatum: quæ tamen *pacta priuata* rectius nõnulli nominari cẽsent; Publica tamẽ multiplicia recensentur.

Eschol & Aner cum Abrahamo, *Gen. 14.13.* Et ecce vnus qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre Amorrhæi fratris Eschol & fratris Aner; hi enim pepigerãt fœdus cum Abraham.

Iacob cum Labane, *Genes. 31. 44.* Veni ergò & ineamus fœdus vt sit testimonium inter te & me.

Iosua cum Gabaonitis, *Iosuæ 9.15.* Fœdus inite nobiscum. Fecitq; Iosua cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est vt non occiderentur.

Dauid cum Ionathane, *1 Sam. 18.3.* Inierunt autem Dauid & Ionathan fœdus; diligebat enim eum quasi animam suam, &c. Item *1. Sam. 20.16. 1 Sam. 23.18.*

Abner cum Dauide, *2. Sam. 3.12.21.* Surgam vt ineam tecum fœdus, & imperes omnibus sicut desiderat anima tua.

Dauid cum senioribus Israel, *2 Sam. 5.3.* Venerunt quoque seniores Israel ad Regem in Hebron, & percussit cum eis Rex Dauid fœdus in Hebron corã Domino; vnxeruntque Dauid in Regem super Israel, *1. Chron. 11.3.*

Salomon cum Hiramo, *1. Reg. 5.12.* Et erat pax inter Hiram & Salomonem, & percusserunt ambo fœdus.

Asa cum Benadabo, *1. Reg. 15.19. 2. Chr. 16.3.* Fœdus est inter me & te, & inter patrem meum & patrem tuum.

Achab cum Benadabo, *1. Reg. 20.34.* Fac tibi plateas in Damasco, sicut fecit pater

pater meus in Samaria, & ego fœderatus recedam à te. Pepigit ergò fœdus & dimiſit eum.

Ioſaphat cum Achabo, *1. Reg. 22. 24.* Sicut ego ſum, ita & tu: populus meus & populus tuus vnum ſunt; & equites mei equites tui.

Ioiada cum præfectis militum. *2. Reg. 11.4.2. Chron. 23.1.* Anno autem ſeptimo aſſumpſit centuriones, & iniit cum eis fœdus, &c. Iniit ergò omnis multitudo pactum in domo Dei cum Rege.

Ioſaphat cum Ochoſia, *2. Chron. 20. 35.37.* Quia habuiſtis fœdus c mOchoſia, percuſſit Dominus opera tua.

Iſraelitæ cum Aſſyriis, *Oſeæ 12. 1.* Ephraim tota die mendacium & vaſtitatem multiplicat & fœdus in Aſſyriis iniit, & oleum in Ægyptum ferebat. *Ioſuæ 9. lib. 1. Samuel. cap.* 18. *20. 23.* & alia: ex quibus manifeſto euincitur, Deo fœdera non diſplicuiſſe, cum voluerit fœderum violatores grauiter puniendos, punitos, & puniri cotidie, *Geneſ. 21. 24. 26. 27. Exod. 22. Deut. 6. & 10. Pſalm. 22. & 36. Paul. ad Roman. cap. 1. verſ. 3.* Grauiter

& eleganter *Ezech. c. 17.* Nunquid prosperabitur vel cõsequetur salutẽ qui fecit hæc? & qui dissoluit pactum, nũquid effugiet? *Bodinus lib. 5. De Republ. cap. 6. pag. 617.*

Sanctitas itaq; magna fœderis, *Arias Montanus, cap. 8. Iud. pag. 328.* Est itaque fœderum origo antiquissima, simul sanctissima, ac autoritas maxima,
19 *arg. l. 1. & 2. De aqua pluuia. Nouella const. 23.* ac proinde iure diuino non prohibita; quod quidem Theologi & veteres & Neoterici non volgari pietate ac doctrina præditi, qui partem hanc politicæ scientiæ familiariter in Commentariis publicis post compilatores iuris Canonici, tractarunt, non semel testati sunt, ac probant alii, qui in Reip. gubernatione versantur, & gradu super cæteros mortales excelsiore locati sunt; non est itaque vt de eò simus solliciti.

Theologos communiter statuere fœdera cõcessa.

Superest vt similes scrupulos ex lectoris animo euellamus, ac demonstremus, iure naturali ac Romano fœdera etiam concessa, quod haud graue futurum

túrum autumo. Ethnici enim ſtatuerunt Deos eſſe fœderum arbitros & teſtes, *Liuius libr. 1. Decad. 3. Thucyd. in orat. Corin. ad Lacedæm.*

20 Iurenaturali fœdera probari.

Si rẽ ipſam dextrè inſpexerimus, apparebit omnes homines, vno ac quaſi communi fœdere conglutinatos, cum natura quandam cognationẽ inter nos conſtituerit, & nefas ſit hominem homini inſidiari, *l. vt vim 3. De iuſt. & iur.* Quemadmodum enim in arca Noæ omnes dulci naturæ phyltro modeſtè, amice, moderateq; coniuncti vixerunt, nonnulli ad ſpeciem ſancti, laudabiles, ita etiã reliqui mortales inprimis Chriſtiani, vno Deo, vno verbo, Baptiſmo vno conglutinati confœderatiq; viuere, ac ferre infirmos etiam hypocritas debent, vt pii in dicta arca ferebant Chamum.

21 Copulare amicitiam, non eſſe de genere prohibitorum.

Fatemur inſuper quotquot philoſophamur ex iure naturali, copulare amicitiam, eſſe naturæ conſentaneum ac affine, *Ariſtot. 4. Ethic. & 8. Iohann. de Lignan. De amicitia, c. De diſtinctione amic. nu. 7.* nec de genere malorum, *l. latæ 228.*

§.*amicos, De verb. sign.* imo virtuosum, *Eberardus in Top. in loco De tãquam, pag. 722.* vbi ad hoc probandum adducit *caput 5. Matth. 14. & 15. Iohan.* Optimi verò amici, inter quos est caritas arctissima, *d. l. latæ, l. 8. l. penul. De castr. pecul.* quam vix inter Reges & priuatos, nisi vilis sit anima, virtus, fama, quies, ocium, securitas priuatis consistere posse existimat *Petrarcha, Dialogo 49. lib. 1. De remed. vtriusq; fortun.* Inde Melòn Tarentinus, Tarentini benè facitis, dicebat, quod iocari & ludere volentibus dũ licet permittitis, antequam Pyrrhus in amicitiã assumtus adueniat, libertatem vobis erepturus: imo etiam fucatam vt plurimũ inter priuatos, *Petrarch. dial. 50. 52. lib. 1. De rem. vtriusque fort.* Arctissima verò caritas inter confœderatos esse debet, cum confœderatus confœderato omnia, & salutem propriam credat; & hæc est vera amicitia, de qua in *l. 2. Qui pet. tutor. l. vlt. vbi pupillus educari. l. 15. qui 44. De negot. gest.* quam Imper. pietatem vocat, §. *consequens, Instit. De suspect. tutor. Tiraquell. in l. si iniquum, vers. Libertus, num. 92. cum seq.*

22 Inter Reges & priuatos raiò amicitiam consistere.

23 Vera amicitia.

C. De

C.De reuocãd. donat. Zwingerus in Theatro vitæ humanæ, lib.7.vol.3.pag.899. Talem itaque amicum & confœderatum, cui tantum credis, quantum tibi, vt *Senec. lib.1.Epist.3.* loquitur, quærendum, retinendumque quis negaret? Videmus itaque hanc fœderis amicitiam ex iure naturali descendere, eamq; sacra Scriptura magnopere laudat *Gal.5.* Vniuersa lex, in hac vna completur, quę proximum vt seipsum diligere præcipit. 24

Verũ amicum quærendum, & tanquam thesaurum retinẽdum.

Nihil est, inquiunt Theologi & interpretes dicti loci ad *Galat.5.* quod mereatur pro fideli amico permutari, nec potest satis ponderari decus eius: *Amicus fidelis*, validum est munimentum, & qui inuenerit ipsum, inuenit thesaurũ, *Anton. Monach. Melyt. in locis comm. ser. 24.* In talem itaque amicum ne moliaris mala, propè habitantem & cõfidentem, *Prouer.3.* eumque ne deseras veterem; nouus enim non est par ei, *Syrac.9.* Veterem vero nominamus, non duorum annorum, cum vix hominis ætas comprobet amicitiam, *Æneas Syluius Epist. lib.1.97.* Quod tamen ab homine I-

talo, nõ Germano dictũ existimo: Germani enim statim amare verè, & readamari syncere volunt. Veteres amici optimi, & vetus vinum preciosius & salubrius nouo, *Lucæ 5. in fin. Plautus in Asinar.* Vndè tutores ex vetere vino alentem familiam, damnum illud pupillo sarcire tenentur, *Bart. in l. iubemus, C. De erogat. mil. ann. lib. 12. Corras. ad l. cum quid, num. 4. De reb. cred.* multo igitur magis tenentur, si pupilli parentum veterem amicum neglexerint.

25 Veteres amicos optimos; & vinum vetus salubrius.

Quapropter decet nos profectò omnem operã & studium sumere, vt non solum ea caueamus, quæ amicitiam & societatem dissuere, discindere, aut dissoluere possunt, sed etiam inchoandæ retinendæque salutaria remedia, solerter exquiramus, radiis æternæ, atque immotæ sapientiæ ducti; ac naturali motu imbuti, tũ antiquissimis priscorum parentum exemplis instructi. In rebus itaq; humanis *Polyb. lib. 3.* teste, optima rerum gerendarum documenta, facilè nobis ostẽdunt, vniuscuiusq; rationes, cõsilia, machinationes, & q̃d nobis

26 Salutaria remedia cõseruandæ amicitiæ quærenda.

nobis gratiam, opes, beneficiũ, pacem parare, quid quenquã aduersusnos mouere, quid ad misericordiã, quid ad iusticiam & æquitatẽ impellere possit; & hæc omnia & publicè & priuatim plurimũ in vita mortalium momẽti habẽt.

Superest vt de iure Ciuili agamus. & res carebit difficultate, modo adduxero, IC. Vlpian. in *l.5. De pact.* annumerantem pactis Conuentionẽ publicam, quę fit per Principes, &c. vbi latius veteres Dd. & Neoterici tũ ad *l.1. De Constit. prin.* 27 Fœdera iure Ciuili approbata. Quinetiã SC^tum^ de imperio Vespasiani factũ, expresse hãc potestatẽ fœderis cõtrahẽdi Imperat. cõfert: Fœdus cũ quibus volet facere, liceat, vti licuit D. Augusto, &c. *Antonius Vacca ad d. l. 1. De cõst. Princip.* Et omnes Duces ius maiestatis habẽtes, vel ex cõcessione Principis, vel ex contractu, vel ex priuilegio, rectè fœdera iungere, Dd. nostri tradiderunt in *d. l. 7. De capt. & postl. reuers. arg. l. final. C. De ll.* & quibusnam concessum sit, talem sponsionẽ celebrare, infra copiosius declarabimus; demonstrãtes regulariter soli Principi, quem Imper. in no-

28 Iura maiestatis habẽtes contrahere fœdera.

ſtris libris intelligimus, per volgata iu-
29 Soli Principi cōceſſam facultatem fœd. contrah. ris axiomata, hanc poteſtatem contrahendi, conceſſam. Apud principem enim Romanū tam ius belli indicendi, quam fœderis ineundi (vt omnia iura
30 Ius belli indicendi penes principem. Maieſtatis) reſidere volunt facultatem, *Kirchouius poſt veteres in l.2.num.56.C.de in ius vocando*, per elegantem *Nouel. conſtit. eos.* quam tamen nec ille, nec alii ad id
31 Interpretes iuris Nouel. 105. neglexiſſe. probandum adduxerunt; eandemque doctrinam extendunt *Dd.Iod.Damhoud. in prax.crimina.cap.82.num.18. M.Anton. Peregrin.De iure fiſci,li.1.tit.1.num.15.* Et de eo ſemper præſumitur iuſta cauſa belli
32 Iuſtam cauſam fœderis contrahēdi præſumi in principe. indicendi & fœderis contrahendi, *Dd. in c.Quæ in eccleſiarum, de conſtit. l.præſcriptio,final.C.ſi contra ius vel util. Franciſc.Arias de bello,num.158.Gail. de pac.publ.cap.4. Gentilis de iure belli,c.3. lib.1.pag.31.32.* Vnde Otto Friſingēſis, iuſtum bellum definiuit quod ex edicto ſuperioris poteſtatis geritur, *lib.3.cap.23. de rebus geſtis Frider.primi.* alii iuſtam conuentionem publicam, armatam. *Gentilis lib.1. de iure belli, cap.2.* Et aliis armorum copiā, non tribuendam Impp. reſcripſerunt, *l.1.C.*

vt ar-

vt armor. vsus, lib. 11. Arias de bello, num. 58. Petrus Gregorius de repub. lib. 11. cap. 1. cũ seqq. Hodie tamẽ Imper. & ordinibus simul hanc potestatem asscribimus.

Porro cum hoc in articulo plus ferè valeant exempla, quam rationes, & in vniuersum homines melius exemplis doceantur, quę in primis hoc in se boni habent quod approbent, quæ præcipiunt fieri posse, vt elegãter *Plinius in Troiano* loquitur; quemadmodum iis etiam plus mouentur mortales, quam pœnis, *Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 4. Lactantius lib. 4. Institut. c. 23. Scalig. lib. 2. Epidorp. Scipio Ammiratus lib. 3. discurs. in Tacit. Discurs. 9.* 32 Exemplorũ magnam etiam vim.

Variarum gentium fœdera, antiquissimæ & nobilissimæ Iudaicæ gentis conuentionibus annumerabimus; omnia tamen particulariter exequi, animus non est, cum sufficiat in hoc argumento magnarum Rerumpubl. facta pactaque pressius per indicem introspexisse. 33 Variarum gentiũ fœdera per indicem mõstrata.

Breuitatem antea professus, multa prętereo; ac primum fœdus inter Medos ictum, recenseo ex Herodoto, cum clausula, citra dolum fraudemque, *Herod. li.*

1.num.17. Lacedæmonii Argiuos fuderunt: & postea fœdus cũ illis pepigerũt apud Tegæam. Athenienses cum Peloponesiacis populis, tricennale fœdus cõtraxerunt, quod 14. annis durauit, anno mundi 3526. ante Christum natum 445. illibatum. Postea tamẽ bellum ingens inter vtrosq; ortũ est, *Thucyd.lib.1. Xenophon.* quem Doctorẽ Imperatoriæ artis vocamus, *de reb.Græc.li.1.* Atheniẽses cum Argiuis, Manæis & Elæis fœdus percusserunt in annos centũ, opera Alcibiadis, *Thucyd.lib.5. Plutarch. in vita Alcib.* Philippus relicta Byzãtii & Perinthi obsidione, fœdus facit cũ ciuitatib. Græciæ, anno mundi 3625. quamuis alii in alium reiecerint annum.

Celebratur etiã Atheniensiũ & Corycæorum fœdus, quod tamen occasionẽ bello grauissimo dedit. Similiter Atheniensiũ & Phocensiũ, vbi Philippũ Magni Alexãdri patrẽ attraxerunt. Fœdus cõtra Philippũ Attalus Asię, Pleuratus, Thraciæ, Sard. Syrię Reges ac Ætolicũ Romanis fecerunt, an. mundi 3355. Romanorum fœdus factum cum Latinis,

Liu.

Liu. lib. 2. anno vrbis conditæ 260. Primum cum Carthaginẽsibus legatis fœdus Romæ ictum, cum ſocietatẽ petentes veniſſent, anno mundi 3626. Hãnibalis cum Carthaginenſibus, *Liu. libr. 1. Decad. 3.* Cum Romanis, quem puerum adhuc nouem annorum ad aram patri iuraſſe, memoriæ proditum eſt, ſe ſemper hoſtẽ fore Romanis. Romani cum Carthagine, *Liu. libr. 3. Decad. 3.* Fœdus ſucceſſorum Alexandri, anno mundi 3661. Cum Samnitibus *Liu. li. 9. Decad. 1.* Sic propter nõ ſeruata fœdera bella varia Romani geſſerunt, *Liuius libr. 3. Decad. 3.* Fœdus celebre quoq; ictum inter Octauium Auguſtum, Lepidũ & Antoniũ, C. Panſ. & Hirc. coſſ. Troianus Imper. Hiberos, Sauromatos, Oſrœnos, Arabas, Boſphoranos, Colchos in fœdus accepit. Fœdus etiã factũ inter Iudæos ac Romanos, *Machab. lib. 1. c. 12.* ac renouatum anno mundi 3897. *Ioſeph. libr. 14. cap. 17.* In Oriente Alexius Imper. à Boemundo bello aggreſſus, ne grauiora pateretur, fœdus icit.

34 Hannibalis iuramentũ.

Clariſſimum eſt fœdus & magnũ Ger-

manorum contra Romanos & Gallos temporibus Imperatoris Conſtantii factum, bellum Alemannis & Sueuis indicentis, quo fœdere, authore Othmeiero, Reges, Principes ac primores omnes implicati, in Galliam duxerunt 35000. ſolertiſſimorum militum, Gallicas vrbes occupantes, & oppida Rheno vicina deſtruentes, Gallorumque 11000 in ſeruitutem ducentes. Fœdus etiam ictum inter Carolum Magnum & Nicephorum Græciæ Imperat. anno Chriſti 803. cui interfuit Comes Poppo Hennebergenſis. Incognitum quoque non eſt fœdus, tempore Friderici, inter fratres ordinis Theutonici & Suandepoldum Egrannum, & quidem in perpetuum ictum, *Mutius in Chron. Germ. lib. 20.* Annos confundo, fateor, ac diſpoſitione non opus iudicio ad illos, quos notos iam habes & paratos. Celeberrimum quoque fœdus eſt ictum inter Amuratem & Vladiſlaum Regem Vngariæ & Poloniæ 1443. cõſilio Pontificis turpiter fractum, ob quod facinus Vngari & Poloni cum Rege miſerè profligati ſunt.

35 Ordinem & annos fœderum ſpõtè cõfundi.

Durat

Durat etiam nunc hæreditariū fœdus inter Turingiæ ac Hassiæ Principes institutum anno Christi 1262. ortum ex bello nouennali, quod Henricus gessit cum Sophia S. Elisabethæ filiæ, desponsatæ Duci Brabantino 1268. Chytræo annotante in Chronologia: non anno Christi 1373. in eo enim aberrauit Hottomānus & Ingolstadenses, ac Louanienses, consil. 9. volum. 1. German. quia eo tempore fuit renouatum, & vt is rectè meminit à Carolo 4. confirmatum 1422. à Sigismundo 1433. renouatum & ab Imperatore Sigismundo munitum, iterumque confirmatum 1457. Nouissime renouatum 1587. tam **Erbvereinung**/ quā **Erbverbrüderung**/ quod fœdus *confraternitatem* vocant, & tales confraternitates concessas, neque iure prohibitas, probat ex *l. sodales, de coll. & corpo. Tiraquellus in Tract. De primog. quæst. 6. num. 5. Zasius cons. 1. num. 8. libr. 2. Decius consil. 516. cons. 645. cons. 524. cons. 655. Alexa. cons. 91. lib. 8.* inprimis confirmante Imperatore, *Thessaur. decis. 225. nu. 12.* & per talem amicitiam & confraternitatem,

36 Confraternitates hereditarias concessas.

nullam hæreditatẽ deberi certum eſt, niſi expreſsè conuenerit. Si cautum ſit, deberi exiſtimo, ac eo ſenſu *Bodinum lib. 5. de Repub. cap. vlt. & Gentilem libr. 3: de iur. bell. cap. 18.* conciliari poſſe arbitror, ac hanc fraternitatem vocat piam ac perpetuam, *Zaſ. d. conſ. 1. num. 4.* & de huius conuentionis effectu *Schraderus De feud. par. 10. ſect. 7. nu. 27. agit.* Ineptiſſimè verò illi merito iudicandi, qui putant hanc confraternitatem etiam in priuatorum familiis indiſtinctè locũ habere; quẽ errorẽ videtur cõfirmare *Fichardus conſ. 45. num. 2. tom. 2.*

37 **Fœdus Bohem. & Miſnen.** Adiicimus & his fœdus Bohemicum, inter Maximilianum 2, & Saxoniç Ducem ſancitum, An. 1579. April. 2. die ſolẽniter interueniẽte ſcripturâ renouatum. Sic percuſſum ac redintegratũ eſt fœdus ſempiternũ inter Danos & Holſatos, cum ſumma lætitia Ottoniæ, An. Chriſti 1580. vt quisquis Holſato hoſtis

38 **Fœdus Danicum & Holſaticũ ſempiternum.** declaratus ſit, idẽ Dano ſit inimicus, & è conuerſo. Renouatum dixi hoc fœdus poſtquã Principes Sleſuicẽſes ante tribunal geniculãdo inueſtiturã Ducatus

Sleſui-

Sleſuicenſis petierunt à temporib. Regis Chriſtophori Bauari, circiter 140 annos dilatũ. Illuſtre quoq; fœdus in Boruſſia anno Chriſti 1440. inter equites & regionis ciuitates, Dominica Iudica, factũ, *Caſpar Schutz in hiſt. Rerũ Pruſſicar. lib.4.5.6.7* ab ipſo magiſtro ordinis Cõmẽdatoribus, imo Friderico Imper. 1451 cõfirmatũ, ab Eccleſiaſticis tamẽ & Imperii Principib. impugnatũ. Nihil dicã de fœdere Ludouici Imperat. cũ Rege Galliæ, Hẽrico & Wilhelmo Duce Normaniæ, *Crantz.li.3.Sax.c.10.* Nihil de Haraldi cum Ludouico, *Crantz.2.Sax.c.25.* Nihil de fœdere inter Alfõſum & Sfortiam, Venetos, Florentinos, & Pontificem, tum inter filium naturalem, Ferdinandum & Tarẽtinum, inter Alfonſum & Eugenium IV. de quibus *Facius lib.4. & lib.10.* nihil de fœderibus, inter Gallos, Scotos & Anglos, ſæpius contractis, ſæpiſſimè reſolutis, vt loquitur inſignis vir *Buchananus in hiſt. Scot. Anno 1466.* Fœdus renouatum inter Ferdinandum regem, Iohannemque Galeacium & Florentinos, in quo Fridericus Montisferr. ſociorum militiæ

Princeps declaratur, Anno 474. fœdus inter Carolum Burgundiæ & Fridericum Imperatorem contractum, Anno 1482. inter Belgas & Gallos fœdera pacis confirmata Attrebati. *Aimoinus Monachus* insuper recenset fœdera Francorũ Regum cum Lõgobardis, Britannis, Danis, Hũnis, Hispanis & aliis, quæ singula asscribere longum foret, & tædio coniunctum. Anno 1280. quindecim Comites contra Rudolfum I. Imperatorem contraxerunt fœdus, inter quos fuit Montfortensis, Helfensteinius, Wirtenberg. Sed omnes fusi sunt, fugatique & imperio subiecti. Similiter anno Christi 1323. cõpositis per Bertoldum, Comitem Hennebergensem controuersiis, factum fœdus inter Megelburgenses & Brandenburg. mutua successione approbata. Anno Christi 1316. Primum fœdus est contractum inter Heluetios, postea interueniente diuersitate relligionis, renouatum, cõseruatum & hucusq; seruatum.

Anno 1457. Marchiones Brãdeburgẽses ad fœdus **der Erbuereinigung** Saxonum,

xonum, & Hassorum, Anno vero 1587. ad Erbuerbrüderung / salua conuentione cum Ducibus Pomeranis inita, quãuis liga secunda semper videatur facta sine præiudicio iuris primi, *Canonistæ in c. redolentes, de statu Monach.* accesserunt; quorum confœderatorum maxima est potentia. Sueui pro tuẽda pace mutua, illectis potentissimis Germaniç principibus, fœdus inter se decennale iniuerunt, 1380. Norlingensibus receptis, 1384. Anno 1488. renouatum, quod solutum fuit prouidẽtia Caroli V. & Regis Galliæ, magno cum Germanorum dispẽdio, 1533. & Sueuicum illud fœdus si *Sleidano lib. 4.* credimus, initio in annos octo, deinde tres, pòst duodecim, denique, decem initum, & Anno 1522. in annos decem renouatum fuit. Franciscum primum cum diuersis fœdera cõtraxisse, refert *Guicciardinus lib. 2. hist.* Imperator Carolus V. contrahit cum Clemente 7. & cæteris Italiæ Dynastis fœdus, vel potius renouat in sesquiannum, verbo quidem pro Italiæ pace tuenda, sed reuera ne Gallis pateret ad-

39 Sueuicum Fœdus.

itus, *Sleid. libr. 8.* Subsecutum est quoque fœdus Smalcaldicum in Comitatu Hennebergēsi Smalcaldiæ, quæ ciuitas & præfectura iam tota subiecta est imperio Hassorum Principis, inchoatum mense Nouēbri, 1529. tum .n. primum agitata quæstio, de mutuo fœdere Principum Euangel. formula cōcepta, mēse decemb. An. 1530. non offendendi, sed defendēdi causa; cuius capita Chytræus in *Supplemēto Crantzii*, quod vocat, recenset: & ad hoc fœdus pangendū, ciuitates, classico non concitandas voluit Melanthon. nec quenquā Lutherū aut Melāthonem de hoc fœdere, quod tamen nō vitiosum existimauit, cōsuluisse scribit ad Camerar. Anno 1537. *in Epist. ad Camerar. p. 156.* Smalcald. ciuitatē ꝓpter fœdus ibi factum, *Carolus* V. Imp. voluit æquare solo: verum ad intercessionē Electoris Mauritii, consilium & voluntatem mutauit Carolus V. vt refert *Spangenberg. in Chron. Hennenb. lib. 5. c. 53. p. 271.* Inde vel hoc obseruandum, loca silētio inuoluenda, in quibus fœdera panguntur, ne incidant sinistro seculo

40 Smalcaldicū Fœdus.

Lutherum & Melāthonem nō interrogatos de fœdere Smalcal.

euen-

euentu in periculum præsentissimum. Loca silétio inuoluēda, in quibus fœdera cō-trahuntur.

Nō quoq; incognitū est fœdus Principis Hassorū Philippi cum Heluetiis initum. Sic fœdus contractū inter eundem Philippum & Ducē Wirtenburgēsem; cuius effectus ingens apparebat in restitutione Vldalrici Wirtēbergensis Ducis à Sueuico fœdere pulsi & annos fere quindecim exulātis, 1534. Ex quo adhuc Wirtēbergēsem Hasso obstrictū existimāt. De quo tamē Hassiæ Principis conatu, varios rumores eo tēpore sparsos refert Melanth. *in epist. ad Camera. An. 34. p. 228.* Similiter Episcopi & Norinbergēses se fœdere muniunt cōtra Albert. Brādeb. Mauritius Saxo, Lādgrauius & Albertus cū Henrico 2. Rege Gallorū, Chamborti fœdus cōtrahunt, An. 1552. obsidib. missis, Philippo Hassię iuniore & Christophoro Megapolitano; à quo socios tamen intempestiuè recessisse clamabat Gallus. Chamborti quidem hoc fœdus contractum, asserunt rerum imperiti, cum ibi tantum sint facta προβουλεύματα: perfectum vero præsente Fraxineo nomine Regis; Mau-

41 Fœdus inter Hassum & Wirtenb.

ritio Electore, Alberto Brandeburgens. & Landgrauio Wilhelmo. Fridewalde in arce venatoria Hassiæ, & iam præstito iuramento, tonitrua audiuerũt Principes, quibus turbati visi sunt, vno tamẽ ex Hassiacis consiliariis dicente, optimum esse omen, nec quicquam aduersi timendum, licèt eodem tempore maxima inundatio Cassellis fuerit.

Ad hoc fœdus primò à Germanis Principibus quæsitum, perficiendum & iuramento confirmãdum, Rex Henricus Iohannem Fraxineum cum mandatis ablegauit, anno 1552. 3. Febr. Fontẽneplo, vt ita æquali fœdere Rex Principibus fuerit coniunctus: ex quo concidit Bodini superba assertio, *lib. 1. cap. 7.* Promiserat enim Rex consilio, potentia, auxilio, amicis & propria persona, **in einer gemeinschaft vfzusetzen** & succurrere oppressis. Hoc seculo fortissimè gesta sunt bella, & bellis compositis, pax secuta tranquillitatis, & opulentiæ plena; & illa ætas, Duces fortissimos & sapientissimos rerum administratores habuit, viditque simul literarũ studia,

42 Seculũ Caroli Quinti.

dia, magno feruore post tot interiecta seculorum interualla reuocari, & humanitatem coli vbique: eo enim tempore Carolus Quintus *Saxonẽ, & Landgrauium Philippum* humaniter dimittebat, non Marte, sed arte Hispanorum captum, & Carolus inter omnes reliquos eius ætatis Reges, Principes, ac Duces tanquam Sol inter reliqua cæli sydera vel lumina præfulgebat, vt recte ille dixerit: 43 Caroli V. laus.

Carole, mortales dubitant, homo sisne, Deusve?
Sũt tua sceptra hominis, sed tua facta Dei. 44 Antiquissimum fœdus ciuitatum Hans.

Celebre, vt rursus ordinem inuertamus annorum, quoque est ciuitatũ *Ansaticarum* siue *Hansarum* maritimarum & aliarum Teutonicarum fœdus, circiter annum Christi 1270. institutũ, cui cohæret fœdus ciuitatum Vandalicarum, **Der Wenden Stätte** / quæ adhuc durãt & numerantur; 1, Lubeca. 2, Wismaria. 3, Rostochium. 4, Stralesunda. 5, Gripeswaldum. 6, Hamburgum. 7, Luneburgum, *Crantz. lib. 1. Vandal. cap. 1.* Sic quoq; Brunsuicenses Ciuitates ma-

iores, vt loquũtur, fœdus antiquiſſimũ cõtraxerunt, cuius effectus tamen nondum apparuit: an verò hoc liceat ſubditis, infra explicabimus: interim legãtur quę Bodinus hac de re tradidit *lib. 1. de Repub. cap. 7.* Etſi vero de anno initi fœderis Anſatici dubitent prudentes, tamẽ hoc certum eſſe ſcio, Caroli IV. gratia Hanſaticum fœdus cõfirmatum eſſe. Et quamuis in initio immenſa fuerit huius fœderis vtilitas, & ſanctio honeſtiſſima, cõtra Danos & Cimbricę Cherſoneſis incolas & Suecos initi, qui in Holſatię, Luneburg. & Saxon. regiones & ciuitates irruebant: tamen ſi penitus examinauerimus huius fœderis vel cõuentionis naturam, vix negare poterimus, quin ſapiat, quo ad nonnullas ciuitates, ſpeciem cõſpirationis; cũ multæ ciuitates eo comprehendantur aliorum imperio ſubiectę, quæ neque regalia à Cæſare, Imperiove habent, & ſuperiorem magiſtratũ præter Cæſarem agnoſcunt: quibus & alii Principes mandare poſſunt; quę etiam nec in Comitiis, nec circularibus Conuentibus ſeſ-

ſeſſionem ac votũ habent, neq; matriculâ ſunt cõpræhenſę, nec cõtributionẽ Cæſari, ſed Principib. ſoluunt. Sed bene eſtquod domeſticis inſidiis, & priuato cõmodo faſcinati, neſciãt hac potentia ingenti vti, cum homines alãt aliis Regib. Principibusq; addictos & obligatos, & concionatores ad quælibet volgus incitantes. Oſtendit hoc bellum Sueuicum & Danicum, bellũ Megapolitanum contra Roſtochienſes. Errat *Bodinus, lib. 1. De repub. c. 6.* exiſtimans circiter annum 1560. fœdus inter Vandalicas ciuitates cõtractum, quod fuit antiquiſſimum: errat quoq; putãs eſſe ciuitates Imperiales, cum tantum vna ſit inter omnes. Lubecenſes cum Rege Daniæ Friderico 2. fœdus pepigiſſe cõtra Suecum in expeditione diuturna & bene longa, cœpta Anno 1563. & finita 1570. menſe Decembri Stetini, conſtat. Annõ etiam Sigiſmundus Auguſtus cũ Solemanno fœdus perpetuũ contraxit, *Cromero in oratione funebri Sigiſmundi* teſtante, cum tamen recuſarit Smalcaldicum fœdus. Ciuitas Argenti-

45 Anſaticas vrbes neſcire vti potentia.

Error Bodini.

Sigiſmundum A. noluiſſe inire Smalcald. fœdus.

nensis etiam contra equites in Alsatia, Anno Christi 1422, contraxit fœdus cum Basiliẽsibus, Friburgens. Colmar. Schletstad. Neuburg. Emingens. Kersinberg. Ehenheim. Mulhaus. Rosch. Turckheim. in quinquennium, cuius fœderis articulos tradidit *Hertzog. in Chron. Alsat. lib. 2. p. 97.* Fœdus etiam inter se fecerunt Argentinenses, Tiguri, Bernates, Basilienses, 5 Ianuarii Anno 1530. ad mutuam defensionem, contra vim iniustam, quæ propter Euãgelium inferetur. Fœdus quoque ictum pauci norunt inter Saxoniæ Duces & Principes Hennenbergenses, reciproco Iure succedendi approbato, *Spangenberg. libr. 5. hist. Hennenberg. cap. 53. pag. 272.* Extat quoque fœdus Polonorum ac Turcarum perpetuum, non semper cum Bodino improbandum, cum quandoque nulla alia quam perpetua prosint, quod *Salis fœdus* nominabant veteres, *Bodinus de Repub. lib. 5. cap. 6. pag. 615.* sub Solemanno ictum. Similiter fœdus Solemanni Turc. Imper. & Henrici 2 Galli, Calẽd. Feb. Anno 1553. celebratũ, quod infringere

Fœdera cũ fraternitatis Saxon. & Hennenb.

gere

gere Henricū 4. Regem Galliæ & Nauarræ, non ſine ſummo incommodo, Hiſpano Galliam vndique vexante, potuiſſe prudentes exiſtimarunt; cum & ipſe Rex Hiſpaniæ per Marillanū ſuum oratorem ante tale quæſierat, & obtinere ſtuduerat, cum etiam Rex Catholicus fœdus cum Rege Perſarum Machimetano aliquando contraxerit. Et quas Rex Galliæ eius fœderis habeat, prægnantes rationes accuratè tradidit *Dominus della Noue, in diſcurſu vel diſputatione Turcica.* Sic Landeſpergenſe fœdus, cuius Imp. ſiue Dux olim erat Albertus Bauariæ Princeps, anno 1556. factum, quo & Norinbergenſes & alii Euangelici continebantur, fundatum in conſtitutione executionis, cui tamen accedere Elector Auguſtus Dux Saxon. ſæpius ea de cauſa per Baronem Boladiſlaum ab Haſſenſtein interpellatus, nec Palatinus nec Haſſi voluerunt: vt nihil iam de Egrano dicamus: Cognitis enim rebus non eſſe immorandum præclare monebat Symmachus *libr. 1. Epiſt. 69.*

Landesbergēſe fœdus.

Sigiſmundus Auguſtus poſt varia geſta bella, fœdus ad tres annos cũ Baſilio Muſcho iniuit, anno 1571. in quo etiam Polonus obdormiuit. Gallorum, Anglorum, Venetorum, Mediolanẽſium, omniumq; ciuitatum Lombardicarum fœdus cõtra Carolum V. Imperatorem, An. Chriſti 1526. Venetorum & Florentinorũ fœdus 1427. pactũ, Veneti cum Turc. Imp. fœdus cõtrahunt, cõtra Regem Neapolitanum, *Crantz. in Vand. lib. 13. c. 19.* & quidem prudentia & ſapientia per totum orbem Chriſtianum admirabili præſtantiſſimi viri renouarunt. Wenceſlai ignaui & prodigi Imperatoris tempore 1387. 1388. 1389. multa ſunt icta fœdera inter Sueuos Principes ac equites, ex quibus confœderationes ciuitatum ſunt ortæ. Celebre fuit fœdus Leoninæ ſocietatis.

His annumerare non poſſumus fœdus quod ictum ſcribit *Bodinus libr. 1. De Republ. cap. 7. anno 1559.* inter Sigiſmundum Auguſtum, Ducem Saxoniæ, Landgrauium Haſſiæ, Ducem Bauariæ & Holſatiæ, Epiſcopum Wirtzburgenſ.

Bodini error.

burgenſ. ac Bambergenſ. tum Nurnbergen. Lubecam &alias ciuitates: quia nunquam exſtitit, grauiter itaque aberrat Bodinus.

Sigiſmundus Imperator ac Vngariæ Rex cum Turc. Imp. init fœdus, poſtulante Turca, perpetua pacis fœdera, *Crantz. lib.* 11. *Sax. cap.* 19. Fœdus Vngarorum, Polonorum, & Wallachorum cõtra Turcam ictum 1500. 47 Fœdus ſacrum.

Nobile & ſacrum fœdus Pontificis Clementis VII. Philippi Hiſpaniæ Regis & Venetorum, Anno Chriſti 1570. factum, qui confœderati ingentem victoriam obtinuerunt, An. Chriſti 1571. occiſis Turcis 27000. Quod Fœdus ſacrum grauiter & eleganter deſcripſit Vbertus Folieta libris quatuor, Genuæ anno 1587. editis, cui tamen fœderi Maxim. 2. Imperat. ſe iungere noluit, 48 Fœderi ſacro cur Imper. Maxim. II. intereſſe noluerit. forſan facilitatem Venetorum in diſſoluendo fœdere præſentiẽs, quam etiam ægre tulit Pontifex; Philippus verò Hiſpanus non etiam, vel noluit accedere Imperat. huic fœderi, videns

fœdus initũ contradicente Aloiſio Mõtanico ipſo Duce. Summam huius fœderis, Folieta recenſet *lib. 2. De ſacr. fœd. pag. 102. 103.* in qua eſt quod admireris, prudentiſſimos Venetos perpetuũ fœdus cum potentiſſimis approbaſſe, inprimis Duce fœderis cõſtituto Iohanne Auſtriaco, Regis fratre naturali, eoque abſente, M. Antonio Columnæ, eadem poteſtate commiſſa, cum tralatitium ſit, fœdera ciuitatum præſertim cum Principibus coniunctiones multis perniciem attuliſſe. Paſſim legũtur fœdera Turcarum cum Gallis, cum Perſis, cum Pontificibus, cũ Romanis Impp. & ſacrum imperiũ ſæpius inducias obtinuit & ex prudentum ſententia laborandum adhuc, in tanta diſtractione animorum, videtur, vt firmam pacem ſibi comparet, vel perpetuas inducias faciat. Non diſſuadent etiam alii vt Imp. fœderatum, ſocium & amicum & Perſiæ Regem Abbam ac Muſcorum Principem habeat, & quidem perpetuum, perpetuo fœdere inter Muſcum & Imperium icto, *Iohan. Sturm. libr. 3. de bello*

Inducias perpetuas cum Tur. faciendas.

Fœdus cum Rege Perſarum & Muſcho ineundum.

bello aduersus Turcam rectè administrand.

Fœdus quoque amplissimum, sanctissimum non vi & armis, non ferro vt calumniatur *Francisc.* ille *Burchart*, vel quisquis ille est, sed mutuo cõsensu eorum, qui Romanæ ecclesiæ in Imperio addicti erant ac Protestantium, anno 1532. 23. Iulii intercedente Alberto Brandenb. Mogunt. & Ludouico Palatino: & tandem decretum factum, & ne vlli Principi, Comiti, vel ciuitati *bellum inferatur respectu relligionis*, 1552. 1555. 1558. 1561. 1566. primò constitutum est. Neque exigitur in eo vel contrahendo vel conseruando Põtificis Romani autoritas; quis enim vnquam audiuit in Recessibus Imperii sanciendis, Imperatores Romanos Pontificis Romani cõsensum adhibuisse, vel & voluisse, quod fœdus confirmatum est, Bey Fürstlichen ehren / waren worten vñ vermeidung der pön / in dem aufgerichtem Landtfried begriffen: quod magno labore, non ferro exactum, vt lasciuus author Autonomiæ nefariè contra voluntatem Imperatoris, & Principum vtriusque ordi-

49 Fœdus Põtif. & Protestant. sanctissimum.

50 In fœdere Põt. & Protestan. Põtificis autoritatem nõ requiri.

nis scripsit; nisi integrè seruatum fuerit absque subtili & coacta interpretatione, quæ in omni fœdere odiosa & vitanda, illorum qui multa turbant, actum erit de Republ. de Electoribus, Principibus ac ordinib. Imperii. Is itaq; qui patriam ac Deum amat, nihil remittet studii, laboris, fidei, industriæ vt omni modo sanctissimum fœdus conseruetur, iis receptis, qui Augustanam Confessionem Anno 1561. Naumburgi repetitam & sigillo Principum confirmatam, approbant, licèt ceremonias easdem non retinuerint. Verba enim Constitutionis ita habent: Es sollen die Kay. May. wie auch Churfürsten vnd stände des H. Reichs keinem standt des heiligen Reichs/ von wegen der A. Cõfession vnd derselben lehr/ Religion vñ glauben halben/ mit der that gewaltiger weise vberziehen/ beschedigen/ vergewaltigen/ oder in andere wegẽ wieder sein Conscients/ gewissen vnnd willen von dieser A. Confession/ Religion vnd glauben/ Kirchen gebreuchen/ Ordnungen oder Ceremoniẽ/ so sie außgericht od' nachmals aufrichten

Constitutionem pacis relligionis absq; coactainterpretatione seruandam.

richten mögen/ ꝛc. Et cõtra, operã inquã dabunt omnes, cuiuscunq; sint ordinis & cõditionis, vt sint omnes inter se iuncti, aduersus exterorũ sæuitiã, & excursiones, vt qui iis maximè in Imperio oppugnãtur, ac laborat, huic ab omnibus, nullo religionis respectu habito, absq; mora subueniatur. Verissimum .n. est præceptum, *non miscenda esse negocia Politica gubernationi Ecclesiæ.* Quibus enim patria, quibus Respubl. quibus pax chara est, & esse debet, optabunt omnes, vt omnia, quæ discordiæ ac factionis materiam præbẽt, è Republ. radicitus euellantur, & communi ordinum sumptu, pręsidium collocetur cõtra illos, qui armis leges & vi perrumpunt. Quo fœdere religiosè & sanctè, omni coacta interpretatione reiecta, seruato, quæ alia exigeremus? Cur non laboraremus simul, Imperii potestas augeretur; quo enim illa maior, eô terribilior & præstantior Respub. & tutiores ciues. Sed quanta procerum est, vt lenissimè loquamur, diffidentia inter se? eaque crescit & augescit in-

51 Fœdus sanctissimum Germanorũ principum seruãdum.

Procerum diffidentia.

dies, proh dolor! adeo, vt terrorem afferat prudentioribus ac interitus coniecturam sapientioribus, ac spem piis appropinquãtis mundi finis. Annumeramus his fœdus lugubre inter Gallum

52 Fœdus inter Gallum & Belgas.

& Belgas, inconsideratè contractum; de quo lepide quisquis ille sit:

Agnus vt effugiat iuga, quæ grauiora videntur
Esse, canum, iungit fœdera dira lupis:
Ille sed incautũ, custode remoto, & inermẽ
Agnum infelicem diripit & lacerat.
Sic Belga infelix fugiens iuga atrocia Iberi
Fœdifragi Galli fœdera dira petis?
Ille sed exhausit postquam tua viscera, vt vltra
Nil possis, & erit heu laniena tui!
" *Iudicium iustum diuini numinis iræ est,*
" *Legitimi Regis non tolerare iugum.*

Similiter Carolus IX. init cum Anglicana fœdus, fratre Andio, Reginam in matrimonium petente 1572. (vt Amiralii animus eluderetur) vti defensiua & offensiua esset societas: ictum denique fœdus inter Henricum 4. Regem Galliæ, ac Elisabetham Angliæ Reginam

nam & ordines Hollandiæ & Selandiæ. Quis omnia fœdera recenseret, vel etiam exigeret? estne dignum vt his adiiciamus *fœdus, sanctum* illi vocant, rectius *sanguinolentum*, inter Pontificem, Hispanum, Sabaudum, & cõiuratos Franciæ Regiæ familiæ hostes, contractum, mirabili Dei consilio solutum & diuulsum: Didicerũt enim vel inde Religiosi & Politici non inane esse *c. 3. Nahum.* scriptum: *Reuelabo pudenda tua in faciem tuam, & proiiciam super te abominationem & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.* Deum enim nec dicta nec icta fœdera, nec potentiam nec potentum consilia morari, sed deridere, quot exemplis ex historiis petitis illustrare possem? Sufficiat nauale prælium, Anno 1588. inter Hispanos & Anglos, de quo eleganter ille:

53 Fœdus sanguinolentũ solutũ mirabili modo.

Strauerat innumeris Hispanus classibus æquor,
Regnis iũcturus sceptra Britanna, suis:
Tanta huius, rogitas, quæ motus causa? superbos
Impulit ambitio, vexit auaritia.

Quam benè te ambitio mersit vanissima, ventus
Et tumidæ tumidos, vos superastis aquæ.
Quam bene raptores orbis totius Iberos,
Mersit inexhausti iusta vorago maris.

Ex his vero omnibus prudentiam omniũ gentium in fœderibus cõtrahendis, apparuisse euincitur. Fœdera itaq; omni iure sunt concessa; quia ex diuino instinctu, ordine iuris naturæ ac gentiũ nata & profecta, ex insitis à Deo notitiis & radiis sapientiæ diuinæ, quæ Euangelium non abolet, sed approbat, stabilit, ac munit.

Satis ergo superq; iam ex iure diuino, naturali & ciuili demonstratum existimo, fœdera necessaria ac concessa, iisq; Respubl. carere non posse; quod vt aliis confirmemus rationibus, necesse quidem non est; attamen ne nobis deesse dicantur, alias & quidem paucas subiiciam. *Si licet Christianis bellum gerere: Ergo multo magis fœdera inire.* Primum Sigfridus noster non negabit, quamuis nonnulli, quos refert *Bellarminus Tomo 1. controuers. Gener. libr. 3.*

55 Christianis licere bellũ gerere. Ergo fœdera cõtrahere.

cap. 14. nulla ratione prægnante moti inficias ire voluerunt. Probatur enim variis rationibus & autoritatibus SS. testimoniis, vt testatur *Ioh. de Lign. de bello, cap. 11.* Etsi enim bellum sit omniũ immanitatũ & feritatũ epitome, *Mornæus de verit. rellig. c. 16. fol. 361.* elegãter *Roterodamus in orat. de bello post Isocratẽ in oratione de pace, & Æschinẽ, in oratione de falsa legatione, Demosth. De Chersoneso.* Et omniũ malorum causa, *Damh. in pract. Crimin. c. 151. nu. 23. Exod. 17. Deut. 20.* Et ex bellis etiam iustissimis multa, imo infinita oriũtur mala, *August. de ciuit. Dei libr. 19. cap. 7.* inprimis vero respubl. non componitur, agri non coluntur, ludi ac sacrificia Deorum intermittuntur. Quippe assiduo cursu bellorũ fit vt hęc omnia quasi è memoria excidant inquit *Polybius libr. 5. historiarum.* tamen iusta bella dicuntur, *Domin. Bell. 2 Chron. 20. vers. 10.* & Deos belli autores innuit *Isocrates in Panegyr. c. iustum, c. Dominus, 23. quæst. 2. Dd. in c. olim, de restit. spoliat. c. nisi, c. noli, c. militare, 23. quæst. 1. c. notandum, 23. q. 2.* Iure itaq; ciuili probatum, cum ortum

Bella omniũ immanitatum Epitome concessa.

56 habeat ex iure gentium, *Iohan. de Ligna. de bello cap. 12.* & iustum dispositiue, iniustum per occasionem, *l. 5. vbi Dd. & Vacca de iust. & iure, toto tit. de re militari, Vasq. 1 controu. illust. cap. 9. num. 5. Borch. in tract. de iure pugn. lib. 3. cap. 10. per l. 118. De verb. signific. & ibi Rebuff. l. hostes, 24. de capt. & postl. reuers. Dd. ad d. l. 5. Iason ibidem, num. 38. Couarr. in c. peccatum, part. 2. §. 9. num. 1. de Reg. Iur. Petrus Martyr in locis commu. de bello, in princ. num. 1. de iur. bell. Heresbach. de Administ. Reipubl. Christianæ, cap. 6. Anto. Gue. in Epistolis, quæ Germanicè editæ sunt, pag. 25.* inde Duces belli Deo authore creari dicuntur, *Nu. 27. Gorrut. de proui-dent. lib. 11. cap. 13. Danæus in Polit. Christ. c. 3. 4. 5. lib. 2. pag. 491. Farnesius De simulachro Reipub. lib. 3. cap. 2. pag. 78.* Scientia itaque militaris non negligenda. Errat itaque *Ludouicus Viues lib. 5. De tradend. disciplin.* existimans bella in historiis non accuratè recensenda, cum instruāt animum ad nocendum.

Bellum iniustum per occasionē.

Lud. Viuis error.

Quamuis vero iustum bellum nemo nisi Princeps supremus & populus liber possit gerere, *Liu. lib. 10. Bart. in d. l.*

hostes,

hostes, Couarr. in d. c. peccatum. §. 9. num. 1. de Reg. iur. in 6. Alciat. cōs. 132. num. 19. num. 20. lib. 5. Sachsen spiegel *lib. 3. art. 64. in verb. cum rex, & si quis alius exercitum conscribit, sit reus Maiestatis, l. 3. §. eadem, Ad l. Iul. Gigas de crim. læsæ Maiestatis, quæst. 31. num. 5. Ayala lib. 1. de offic. & iur. belli, cap. 2. pag. 138.* & iniustum præsumatur, quando geritur à recognoscente superiorem, *arg. c. 1. de iur. bell. num. 158. Bellin. de re milit. part. 1. Tit. 5. Iohan. de Lig. d. c. 13.* multò magis à priuato, qui alia habet iuris beneficia. Si enim inquit ICtus, quas te habere putas, petitiones, actionibus experiaris, *l. extat 13. Quod metus caussa.* Hoc enim ius ita cohæret principi, vt ab illo diuelli nequeat, *Bod. lib. 1. cap. vlt. de Repub.* & in imperio Rom. Imperatori & ordinibus per volgata, quibus accedit *Heigius quæstion. 12. num. 29.* tamē Principibus Germaniæ ex antiquissimo libertatis prætenso iure concessum esse volunt, conscribere milites in propriam & aliorum salutem, modò obseruarint formam in Cōstitut. Imperii expressam, in primis Recessu Anno Christi, 1555. & 1570.

Quatenus Imperii Principibus milites cō-scribere cō-cessum.

76. 82. 94. 98. facto; præsertim ob subitum ac præsens periculum, si sunt arma expedienda; & ita accipimus Recessus Imperii Anno 1530. 1548. 1555. factos, *And. Geil. de pac. pub. libr. 1. cap. 4.* Imprimis contra hostem Imperii per notissimas iuris regulas, & cur non? cum & ex regul. iuris communis liceat, propter caussam necessariam ac absentiam Principis, & propter periculum quod est in mora, iniussu Principis bellum gerere, *argum. l. si alius, §. bellissime; quod vi aut clam.* Etiam eo vsque, vt vlcisci concedatur, *c. Dominus, 23. quæst. 2. Socin. cons. 68. tom. 3. Ayala libr. 1. capite 2. num. 9.* Vbi pro Imperii principibus cōcludit, quod iniuriam sociis, h. e. Imperii subditis, illatam, liceat repellere, & non repellentes tam esse in vitio, quam qui inferunt, *c. ex inferenda, 23. q. 3. Ext. Qui sunt rebelles.* Sed de bellis & hisce scribere, non satis tutum esse putat *Damh. in prax. crim. cap. 82. num. 3.* Decet tamen sapientes viros & Rerumpubl. gubernatores finem potius in rebus humanis, quam initium spectare; &

De bello scribere nō tutum.

prius-

priusquam ad arma, bellaq; prorũpant, omnia consilio experiri, *Plutarch. in vita Marcelli.* Iniustum bellum culpatur, *23. quæst. 5. Lactant. libr. 6. c. 9. & 19. Arist. 3. Ethic. cap. 7. Plato 4. de Republ. Gail. libr. 2. obseru. cap. 52. num. 3. Gail. de pace publ. in princip. Alex. 2. parad. cap. 21. Bellin. de re milit. 2. part. tit. 1. num. 11. Martyr 2. Samuel. cap. 2. P. Fab. nobilissimus & excellentissimus IC*tus *lib. 2. Semest. cap. 2. Danæus in Ethicor. libr. 2. cap. 13. Selnec. inconstans & varius in c. 14. Gen. pag. 377.* amicus noster *Paulus ab Eizen in Ech. libr. 4. cap. 7. Vasquius 1. de Testam. poten. §. 1. num. 45. Ferr. De feriis. & iud. milit. num. 205. Alua. in Specul. Rom. pœn. cap. 40.* Et tale bellum Deus exterminat inter creaturas non iustas. Bellum itaque tantum iustum Christianis concessum: Ergo & fœdera iusta non prohibita. Vt enim bellum, sic præsidia, ciuiles munitiones, fœdera, res esse permissas, omnes prudentes firmiter statuunt. Et summi Principes ex Platonis sententia, totum Reipubl. corpus curare debent, omnibus remediis aptis, non partem tan-

Iniustũ bellum.

57 Bellũ, præsidia, munitiones res permissas esse.

tum, nec vno remedio pacem bellumque tueantur, & instituant, nec reliqua deserant. Debent enim perpetuò & catenatim cohęrere, pax, fœdera, bellum, milites, consiliarii. Et licèt tam in bello, quam tempore pacis, nec præcipiti festinatione, nec moratoria cunctatione vtẽdum sit, *l. 7. §. 1. De Admin. tut.* Cuius Germani inprimis incusantur, qui diætam ex diæta creantes, magis distinẽt, quam finiunt res cœptas, *Cranc. lib. 11. Wand. cap. 7. pag. 252.* & inter Germanos cœtus ex cœtu oriatur, quasi fœtus ex matre, *Cranc. lib. 11. cap. 35. pag. 267.* cum dięta nõ sit quæ nõ dietam pariat; cum generis sit fœminini, *Sylvius li. 1. Epist. 92. pag. 579.* Et pulchrius sit in otio vitam degere, qu [illegible]m in tumultu libertatem amittere, & periculum inire, *Dares Phrygius lib. de excid. Troi.* & multa bella impetu valida, per tædia ac moras euanuerint, & dignius sit homine, magis verbis experiri, possisne, quod ius est, obtinere, quam statim ad arma ruere, *August. de ciuit. Dei, lib. 19. c. 7.* nec æquum videatur, quæ vnus peccauit, horum nomine de

Quænam in Repub. cohærere debeant.

Germanorum Dietæ.

nede

ne de vniuersis pœnam sumere, & mortales occidere; ac pacis tractatio semper vrgeri debeat, tamen belli deliberationem, nunquam omittere decet; quod communis Schola Politicorum probauit, obseruatis præceptis perpetuis, ne bella ex fiducia virium, & nō necessaria suscipiantur, *Herod. lib. 7.* Sumptus sufficientes quoque adsint; bellum enim definitos non requirit. Insulsum enim, vt supra dixi, est dogma Machiauelli in *discurs. ad Liuium*, pecuniam non esse neruum belli. Et quamuis Scaliger dicat pecuniam pecudum esse, tamē id eo accipio sensu, si possessores malè vtantur, nec in bonum finem, tunc etenim verissimum quod asserit *lib. 5. Epid.*

Pecuniam neruum gerendarum esse.

Si dicitur à pecude ipsa pecunia, rectè
Fiet, pecus vt habeat, quod suum vocarit.

Pecunia enim inprimis est opus in bello, qua fiunt arma vtilia. Prius itaque colligamus pecuniam, *Thucyd. lib. 1.* Rectè Plutarch. ridet stultam & Thrasonicā vocem Crassi: *Peiche la guerra è vna voragine che non ha fondo, che smaltisce che distrugge, che consuma cose infinite*, inquit

Boterus, &infra: *Ogni tesoro è limitato, má le spese della guerra sono senza misura e le necessita senza fine.* Bellum enim non requirit definitum. Pecuniam enim ferro validiorem inter ciuiles discordias dicebat *Corn. Tacit. Cic. pro l. Manil. Scip. Ammir. Discurs. 9. libr. 18.* Et hæc est omnium quotquot vixerunt prudẽtum sententia. Machiauelli vero prudentia nulli venit in mentem. Cõtra Machiauellum cõcludit Salomon, mortalium sapiẽtissimus, inquiẽs: Coaceruaui mihi aurũ & argentũ, refert *Mancinus lib. 5. de stat. Princip. cap. 1. pagin. 159.* Concludit *Vlp. in l. 1. De quæst. Tullius pro l. Manilia, Quintilian. declam. 341. Plutarchus in Cleomene, Leo imper. Nouell. 52. Iustin. Nouell. 149. Nouell. 161. Demosth. Olynth. 2. l. 22. C. De adm. tut. Giouanni Botero Dell' agilita della forze, libr. 1. c. del Denaro, p. 64.* vbi pecuniam vocat *ventriculum belli.* Etenim quemadmodũ vẽtriculus subministrat animalib. alimẽta; sic pecunia exercitui. Quę tamẽ omnia intelligo si cũ potẽtissimo bella gesseris, nõ etiã cũ infirmo. Nõ verò euertitur qđ dixi, *pecuniã & thesaurum*

rum neruũ rerũ gerendarũ, beneuolentiã ſubditorũ meliorẽ auro, vt argumentatur *Frachetta li.1. De prin.c.14.* Nãper theſaurum, nõ excludimus fauorẽ populi, nec volumus inuitis ſubditis pecuniã extorquẽdã: ne adiiciã illud, paucos reperiri Principes, qui ſubditorũ ope tantũ bella gerunt. Suſcipiãtur, inquã, cõmuni deliberatione ac cõſenſu nõ neglecta occaſione; qua omiſſa, euenire ſolet, qđ accidit Xerxi, Athenienſibus in bello Peloponeſiaco, Alcibiadi in Siculo, Amilcari & Annibali apud Carthaginenſes, Mario, Syllæ, Põpeio, & aliis, &c. Cum itaq; omnes actiones belli eadẽ iuſtitia, Auguſtino authore, qua bellum valeat, valebit quoq; fœdus. Adhæc ſtratagemata ſunt conceſſa: Ergo fœdera. Quæ ſi clandeſtina & occulta ſunt, ſtratagematis merito annumerantur. Et ſtratagemata iure conceſſa leguntur, *d.l. nihil intereſt. 26. de cap. & poſtl. reuer. l. 2. C. de com.* Peragimus namq; diſciplinã bellicam Ratione ac Robore. Ratio vim occultã: Robur, apertã cõtinet. Stratagemata itaq; ſunt quæ ſimulata arte, prudentia,

58 Stratagemata conceſſa: Ergo & fœdera.

& solertia singulari, vel in cauendo, vel
59 Ratione & Robore cõstare bella. opprimendo hoste, excogitata & perfecta sunt; de quibus prolixe in *Theatro mundi Zuingerus eruditissimè lib.3. vol.7. Polianus in tract. de stratag. Thucyd. libr.5. & 8. Plutarch. in Agesilao, Aul. Gell. libr.12. c.9. Lips. in Polit. lib.5. cap.17. Alphons. Aluar. in spec. summ. Pontif. cap.43. Albericus in l.1. nu. 9. de dol. malo, Syluius in hist. de Europa, cap. 43.* vbi Flecheti elegans enarrat stratagema. *Et lib.6. in Epit, cõd. pag.228.* Et Dominus ipse iussit insidiis & stratagematis vti. *Iosuæ 8. Num.2. Samuel lib.1. c.5. vers. 23. Iudith.20. Danæus in Polit. Christ. libr.7. c.6. Alber. Gentil. De iure bell. lib.2. cap.3.* In bello enim apertè & ex insidiis pugnamus bona conscientia. Rectè enim *August. in quæst. 8. supra Iosuæ* dixit: Cum iu-
60 Dolo bono vti & agere licere. stum est bellum, nihil ad iustitiam interest, vtrum aperte pugna, an insidiis quis vincat; &, vbi nõ sufficit pellis leonina, ibi vulpina est assumenda, Botero referente *lib.9. pag.283. de stratag.* Et indistinctè insidiis vti licere in bello, dum modo non rumpatur fides, *Deut.16.* vbi dicitur: Quod iustum est, iuste exeque-

re, *Thom.2.2.quæst.40.* Refert *Iohan.de Lign.de bello c.65.* Et Antigonus interrogātibus; quomodo oporteat hostes aggredi; respondit, *Aut dolo, aut vi aperta, aut per insidias.* Falsum enim non committimus, veritatem hostem celantes. Quamobrem Ventin.mendacia narrata à *Dione libr.49.* non improbantur, vt nec Themistoclis, quo Xerxem exegit è Græcia, de quibus *Gentil.de iure bell.lib.2.& 3.de legat.cap.16.* Et hoc est quod Romani dicebant, *Dolo bono agere.* Est enim dolus bonus, & è regione dolus malus, *l.1.§.3.de dolo malo, & tot.tit.de dol.mal.& met.except.Rubr.C.de dol.mal.* Et adiectio nominis *mali*, non est perpetuum Doli epitheton, vt pacti nudi; quia nullũ est vestitum, vt morbi acuti; quia nullus est obtusus, sed Diastole, *Cuiac.ad l.1.de dol.mal.Gar.in tract.de fine iurispru.num.275. Borch.de pact.c.6.Neuizan.sylu.nupt.libr.4.num.135.Terent.in Eunuch.M.Tul.1.ad Attic.in orat.pro Flacco,& Liu.non in vno loco.* 69

Dolum bonum asscribi prudẽtię.

Dolus ille bonus prudentiæ asscribitur, & sic clauus clauo pellitur; paxillus paxillo; labor labore, *Tiraquel.in*

præfat. num. 20. tract. de retract. Lign. Et de tali dolo loquitur *Paulus 2. ad Corinth. 12. num. 16.* Quamuis *Petrus 1 Epist. 1. cap. 2.* omnem dolum deponendum, & omnes simulationes moneat abiiciēdas. Et hinc tradidit *Bald. in l. vlt. de dol. mal.* Eum, qui per dolum recupauerit quod suum erat, non teneri ad restitutionem, *Hostiens. in cap. olim, in verbo, duxeritis, de restit. spoliat.* Sic Aduocatus habens iustam caussam, potest decipere aduersarium, *argumento c. 1. 3. q. 4. Tiraq. d. loc.* Sic licet ex breuitate tēporis fraus & simulatio præsumatur, *Glos. in cap. d. 18. quæst. 2. Cyn. in l. Si quis, ibi Bald. Angel. & Dd. C. de bonis proscriptorum; Tiraquell. de Retract. Lign. §. 1. num. 77. Glos. 7.* præsertim in permutatione, *Tiraq. in Tract. de retract. Lign. §. 1. gloss. 14. nu. 38.* Adeo vt retractui locus sit, tamen si non eo animo, vt principaliter tertium circumueniret, permutans contraxerit; valebit permutatio, nec retractui locus est relictus; quia actus non directè ad finem & effectum fraudandi alium destinatur, sed incidenter; quo casu, licet

62 Omnē dolum deponendum.

63 Ex breuitate temporis non semper dolum præsumi.

cet propriam conditionem meliorem facere, etiam cum alterius incōmodo; quod etiam in emptione sæpius fieri & licere voluit ICtus in *l. in caussæ, de Minoribus; Tiraquel. in præfat. Retract. Lign. num. 78. 79. cum duobus seqq.* Nec enim videtur fraudare edictum, inquit ICtus, qui sibi prospicit; *l. si pupillus 42. de acquirend. hæred.* Nec satis est euentum fraudis ita cecidisse, vt scilicet retractus locum habeat, nisi consilium adfuerit, *l. 4. §. Si quis, de fideicommiss. libert.* Stratagemata robori corporis præferuntur, *Cic. in Cat. maior.* Vis enim corporis, inquit, nullius penè momenti est, si illam cum ingenii conferamus, quod vnū in bello, vt quod periculis & negotiis cōpertum est, plurimū pollet, quod & Homerus innuit. Licèt apud priscos homines magnum de eo certamē fuerit, *Sallustio referente in proœm. coniur. Catil.* Cum itaq; licuit huiusmodi artibus & insidiis vti, cur non & Fœderibus? Deus manus nostras ad prælia gerēda idoneas reddidit, & victoriam dedit solus, *Genes. 14. vers. 14. Psalm. 21. 118.*

64 Eum qui sibi prospicit, non culpandum.

65 Cum liceat vti dolo bono, etiam licere fœdera contrahere.

verſ.16. etiam per ſtratagemata & dolo
66 bono, *Iudith.c.9.& 10. Prou. Salom.21.v.31.*
Ioſu.11. verſ.6. ſub ſpecie vero fœderum
& induciarum res magnas peractas cõ-
ſtat ex hiſtoriis. Sufficit ſi exemplum v-
nicum ſubiecerimus ex *Diod.lib.15.* Dio-
nyſ. Tyran. Magonem Carthaginẽſem Regem ad Cabala Siciliæ magno prælio victum interfecerat, nec aliam pacis conditionem admittebat, quã vt Carthaginenſes relictis Siciliæ vrbibus, inde diſcederent, & omnem bello hactenus inſumptam pecuniam reſtituerẽt. Carthaginenſes ſimulãtes placere pactum, dicebant, penes ſe non eſſe tradendarum vrbium poteſtatem, ſed vt Principes ea de re alloquantur, petere ſe paucorum dierum inducias, fœdere pacis conſtituto. Quo à Tyranno conceſſo, Carthaginenſes Magonem magnifice ſepelierunt, ſurrogato in eius locum filio, omnino quidem iuuene, prudentiâ tamen atq; fortitudine valde conſpicuo. Hic vniuerſum induciarum tempus, aciem inſtruendo, & milites exercendo cõſumſit, qua laborum aſſue-

Sub ſpecie fœderum & induciarum res magnas confectas.

aſſuetudine, nec non crebro tractandorum armorum exercitatione, agiles & robuſtos milites effecit. Induciarũ autem tempore exacto, eductis, commiſſa acri pugna, iuxta fanum Saturnium, dictum numen, pro clade accepta, Carthaginenſibus dedit victoriam. Sic *Liu. lib. 2. Decad. 3.* celeritatem Hannibalis conſiliis bellicis aſſcribit. Hannibal va- 67
ſtata Campania inter Caſilinum oppi- Hannibalis
dum & Calliculum montem à Fabio aſtutia.
clauſus, ſarmentis ad cornua boum, alligatis atque incenſis, præſidium Romanorum, quod Calliculum inſidebat, fugauit, & hoc modo ſaltum tranſgreſſus eſt.

Deinde idem Pœnus cum circumpoſita vreret, eiuſdem Fabii Dictatoris agro pepercit, vt eum tanquam proditorem ſuſpectum redderet. Nam ad decipiendum hoſtem ſemper intentus fuit: quos enim non potuit aperto Marte ſuperare, dolis aggreſſus eſt, teſte *Plutarcho in vita Annibalis*: & quamuis ferè in omnibus à Plutarcho comparentur Hannibal ac Scipio; & Scipio etiã non

ſemel vſus ſit dolo bono; tamen in hoc genere Annibalem Scipionem ſuperaſſe crediderim. Alcibiades verò non tam bono dolo, quam aſtu & perfidia, imo impietate & crudelitate rem geſſit, *Plutarchus in vita Alcibiadis*: niſi vnum & alterum factum vero ſtratagemati ſimile dixeris. In hiſce omnibus militiæ artibus excelluiſſe Alcibiadem, Alexand. Magnum, Cæſarem, Lucullum, Scipionē, Sertorium, Themiſtoclē, & etiam noſtros Germanos, hiſtoriæ teſtantur.

68 Alcibiadis ſagacitas. Talis quoq; fuit Arati Sicyonii, Lucii Luculli, C. Cæſaris, Cn. Pōpeii & aliorū inprimis Alcibiadis ſagacitas, qui talis fuit vt decipi nō potuerit, præſertim cū attendiſſet ad cauendū: de quib. & quomodo inſidiæ inanes reddātur & ſtratagemata impediantur, erudite *Fracheta lib.2. de princ. c.15. pag.310.*

69 Sub ſpecie ſtratagem. fidem non fallendam. Dicta de dolo bono accipi volumus, ne ſub ſtratagematum ſpecie fides data fallatur, *Hipp. de Collibus arte & Marte expeditus, De princip. cap. 23. Canoniſt. in c. vtilem, 22. quæſt. 2. gloſſ. in verbo, malignantium,*

um, c. cupientes , de elect. libr. 6. Aliud enim ſtratagema, aliud perfidia, *Alciat. libr. 8. conſil. 18.* prudentiam itaque, non ſimplicitatem in bellis commendamus. Quãuis ſimplicitas in Iobo cõmendatur, eamq; laudet *Plinius libr. 6. epiſt. 26.* oppoſitam malitiæ, tamen ſtultitiam, imprudẽtiam, ſimplicitatẽ Chriſtiani quoq; non ſimpliciter bonam dicunt, *Origen. lib. 1. contra Celſum, Thomago Garzono in Theſauro de diuerſi cercuelli diſcurſ. 51.* Simplicitas conſiliorum vt eſt apud *Thucydidem lib. 3.* (quæ maxima eſt in naturis bonis) cum riſu vbiq; & inprimis in bello exploditur, vbi manu agitur modeſtia & ꝓbitas: nomina ſuperioris ſunt, inquit *Tac.* diffidere inter ſe, obſeruare alios, & omnia ſuſpicioſe deprauare, ſapiẽtia dicitur Græcię militibus: nulla enim oratio firma, neq; iuramentum erat, quod ad reconciliationem prodeſſet; quia aſtute ratiocinabantur, nullam firmam pacem fore, proſpicere malebant, ne quid paterẽtur quã credere (vt enim ille ait, ad ſimulanda conſilia, altitudo animi incredibilis requi-

70 Simplicitatem in bellis non cõmendari.

71 Sapientia à Græcis militibus.

72 Simplices milites incautos eſſe.

ritur.) Simplices itaque milites incautos nominamus, quo ſenſu etiã accipit *Sen.lib.2.de ira,cap.6.* In hac tamen arte ſimulationum benè notandum militibus, quod dicto in loco adiicit Thucyd.

73 Stultosquãdoque eſſe ſuperiores.

Stulti ſæpe erant ſuperiores, cum metuerent inſidias, & timerent fore vt aſtutè anteuerterentur: ipſi priores audacter vim inferebant, ſapientiores verò etiamſi pericula præuidebãt, tamen, quia exiſtimabant nõ vi eſſe tentanda, quæ poſſent conſilio obtineri, imparati opprimebãtur. Locus certe inſignis, quem omnes prudentes attente obſeruent. Ego tamen malo cum Iuſtino, cauendi ſcientem & declinandi peritum.

Locus inſignis Thucyd.

Decet enim eos qui vel mediocri ſunt ingenio, ſpem ſalutis non in hoſtium erratis, ſed in rectè factis conſiliiſque ſuis collocare, inquit Iſocrates. Abſit in ſtratagemate mala fides, abſit dolus malus, qui ad fallendum ſemper malus eſt, *Diſt.27.canon. Quod interrogaſti, 6.ibi: illuſio nefanda, & gloſſ.ibid.l.1.§.ſedet qui, C. de Latin.libert.tollend.* Et quamuis nõ infrequens fuerit ſubdolè hoſtem fallere,

Spem ſalutis in hoſtium erratis non ponendam.

Thu-

Thucyd.lib.3. tamen nos tantum de bono dolo loquimur, & prudentia singulari, qua possumus hostem prudenter eludere, *Dist. 43. Canon. in mandatis 2. verbo prudenter, gloss. in verb. eludere.* & tali prudentia & subtili ingenio licet à barbaris aurum extorquere, *l. 2. C. de comm. quæst. 5. caussa 14. cap. vlt. ab illo.* vbi enim ius belli, ibi ius doli boni, *d. q.* Dolum malum ac fraudem omnes boni viri in omni actione detestantur, inprimis Romani non admittebant. Res enim est iniqua, inimicum vincere fraude ait *Plutarchus in Camillo.* Nec Romani vtuntur in pace ac bello iniustitia; cuius amores non betant in bonos viros. Vnde inferendum videtur, hostem remotum à castris non interficiendum vel dormientem, & factum Iudithæ tanquam Heroicum non imitandum, *cap. 8.* cum plenum sit mysterii, vti rectè loquitur *Scipio Ammiratus libr. 2. discurs. in Tacit. pag. 88. cap. vlt.* & fuit extraordinarii iuris à Domino, inquit *Albericus Gentilis,* qui erudite hāc partem prudentiæ tractauit *libr. 2. De iure bell. cap. 8. pag. 271. Bodin. vlt. De Repub.*

74 Subtili ingenio, à Barbaris aurū emungendum.

75 In pace & bello iniustitia non vtendum.

Hostem remotum à castris non interficiendum.

cap. 2. neq; audiēdos contrariū ſtatuentes, vel laudantes; inter quos eſt Morus, *lib. 2. Vtopiæ.* Si hoſtis, aduerſarii tentorium ingrederetur ipſe, cur hoſtem non interficeret. Sic enim hoſtis benè interficitur, vbique ait *Bald. conſil. 434. libr. 5.* Abſint itaque inſidiæ & venena, *Gentilis lib. 2. De iure belli, c. 6. pag. 249.* qui, vt dixi, luculēnter hoc argumētum tractauit. Non itaq; probo (vt ab prædictis adducta omittantur exempla) Matthiæ Regis Vngariæ ingenium, qui exiſtimauit licere iure ferro occidere Georgium Podiebracium, non veneno: ardente enim bello inter Georgiū & Matthiam, venit ad hunc quidam ex familiaribus Georgii, qui ferro ſe Georgium confixurum promittebat, ſi à Rege præmium aureorum quinquies mille numeraretur. Matthias, ſcripto chirographo quod poſtulabat ꝓditor, pollicitus eſt, promittens etiam maiora ad finem cogitationes perducenti. Elapſis aliquot diebus, Regi Matthię ſignificauit proditor gladio Georgiū ſatellitibus ſtipatum, interfici non poſſe,

Matthiæ ſimulata integritas.

vene-

veneno extingui aptissime. Rex Matthias noluit vt venenũ exhiberet, repetẽs illud, *Romanos ferro, nõ venenis pugnare consueuisse*; monuitque Georgium vitaret venena, nullisque cibis, nisi prius prægustatis, vteretur. Sane frigida admonitio, & in speciem facta: cur enim non monebat eundem de proditore domestico. Mirum itaque relligiosos hanc sanctitatem & innocentiam laudare. *Martinus Boreck. in Chron. Bohem. in vita Georgii Regis* XIV. *pagin.* 570. *& Cureus in Annalibus Silesiæ, in vita Matthiæ, pagin.* 178. Vt tamen verum fateamur, qui in publicis negotiis versamur, etiam inuiti aliquid mali addiscentes, vt de foro inseruiẽtibus scribit *Plinius lib.* 2. *epist.* 3. semper aliquid doli mali dolo bono miscere solemus, vt medicamentis venena, laudabiliter in publicis, in priuatis minime, *Lips. libr.* 4. *Ciuilis doct. c.* 14. vbi licèt medias fraudes ob necessitatem concedat, tamen recte addit, *bonum esse desinere, sacris quod non consonat præceptis.* Abominatio est Domini omnis illusor, *Prouerb.* 3. Confi-

Frigida Regis Vngariæ admonitio.

77 Fœd ra nō minus ac ſtratagemata conceſſa.

citur ex his vera ſtratagemata conceſſa; eodem itaque iure admittas fœdera, vel bella, ſtratagemata, & ipſam pacem reiicias ac damnes. *Lipſ. lib. 4. c. 17. Polit. Bodin. lib. 5. De Repub. cap. 6. Garc. De vlt. fin. Iuriſpru. num. 272. Front. in præfat. ſtratagem. Zaſ. in Apolog. aduerſ. Eccium. Hippol. De Collib. in Princip. cap. 22.*

78 Noua ſtratagemata meliora veteribus.

Hoc tene & obſerua, quemadmodũ ſtratagemata noua ſemper meliora ſunt veteribus, & maius damnum adferunt hoſtibus incognita, *Xenoph. lib. 1. Cyri Pæd. teſte:* ſic etiam fœdera noſtro ſeculo cõtracta forma & certis clauſulis veterum conuentiones ſuperare debent. Denique dum oſtendo fœdera eſſe licita, non tam ſtudio dicendi, quam officio demonſtrandæ veritatis, vnum adiicio tritum quidē, ſed non alienum: videlicet; Chriſtianos & fideles poſſe fungi munere exploratorum, *Num. cap. 13. P. Martyr. Samuel. 2. c. 10. v. 7. 1. Samuel. 14.* Eosq; Deus ſeruat, quia abſconduntur, *Ioſuæ c. 2.* exploratores miſſi in terram Chanaan, *d. c. 13. Caſus de Republ. libr. 5. num. 11. Danæus libr. 7. Polit. pag. 544.* Ergo poſſunt auxilium

79 Chriſtianos poſſe eſſe exploratores; ergo & milites.

um ferre bellum gerentibus, & vt ferãt legitime, fœdus facere & firmare, *l. omne, §. Exploratores, de re milit.* Quamuis deprehensi viui exurãtur, aut furca suspendãtur, *l.3.§.vl.ad l.Cornel. de sicar.* Magna tamen quæstio, *An nobiles & alii viri boni debeãt eo officio fungi.* Et distinguendum existimo, num sponte ad hostes transfugiant, vel precio conducti: primo casu illæsa existimatione exploratorem agunt; secundo, non item. Honestas enim ex cõsuetudine desumenda, *l.vlt.§.sed ea, de munerib.& honorib. Bellin.de re milit. pagin.8. cap.vn.n.46,47.48.*

Nobilis an officio exploratoris recte fungatur.

80 Proditores.

Proditores quos inter immanes recenset *Pontanus lib.de immanit.pag.317.* si fuerint, ii lege Ægyptiorum puniãtur, quæ linguã talib. abscindi sanciebat, *Claud. Coter.de Iur.& priuileg.milit.cap.6.* vbi eleganter recenset quam variis suppliciis sint affecti proditores. Trãsfugas etiam licitè recipimus, *2. Sam.2. Sam.15.* Quomodo verò exploratores deprehendere & facile circumuenire liceat, tradidit *Polinæus lib.1.* Pompiseus inquit, quo citius exploratores hostium caperen-

tur, paucas vias habebat, ad quas in excelſo loco caſtra ponebāt, iisq; qui prædatum exirent, præcipiebat vt via trita
81 Stratagemata explor. inſiſterent. Exploratores has vias cauētes, quaſi perſpicuas celeriter capiebantur. Aliam regulam obſeruauit Tamerlanes, quam recenſet *Chalcondylas lib.3.* Quid enim ſolertia & vis humani ingenii neceſſitate cōpulſa, non tentat, efficit & ſuperat? Legimus (vt vnicum adducam ex multis & infinitis memorabile) vrinatorem ab obſeſſis in arce Regia Neapoli ad Alphonſum optimum regem miſſum, literas cera
82 Vrinatoris ars. circumlitas, ferentē, & eum non ſemel, ſed ſecundò & tertiò ad Regem iuiſſe, *Fac.lib.6.pag.188.* Matthias Rex Vngariæ, cum Suabacium oppugnaret, habitu gregarii militis cum accenſo & remige tantum cymbam aſcendit, & vt propugnacula ꝓpius exploraret, ſub mœnibus in Sauo amne luſtrauit omnia, *Bonfinus author eſt lib.3. Dec.4.* Ac Saladinus Ægypti Suldanus, cum Anno 1180 accepiſſet à Chriſtianis populis ingentem exercitum comparari, vt in Orientem

entem aduerſus eum traiicerent cum duobus comitibus & tribus miniſtris, vt belli apparatũ videret, in Græciam, Gallias & Hiſpanias penetrauit: perſpectis hoſtium viribus, fuit ad reſiſtendum audacior. *Fulgoz. libr. 9. capite 8.* vbi & ſimilia exempla recenſet. Et qua ratione vtendum ne exploratores in caſtris verſentur enarrat *Caſtellanus de offic. Regis, libr. 2. cap. 54.* Præſidia quoque conceſſa quis ignorat? imo eſt Principis prudentis officium præſidia ædificare in partibus regionis, in quibus neceſſe eſt, *1. Reg. 9. verſ. 15.* Cum verò fœdera præſidiis annumerãtur, eodem iure conceſſa crediderim.

Poſtremo, vt iam ſunt tẽpora & pericula, ſatius eſt, vt ciues manus vnaniter cõiungant, cum mutuis vinculis natura ſociauerit homines ad mutuam defenſionẽ ſui, & ad mutua officia præſtãda, *d. l. 4. de iuſt. & iur.* quã vt etiã potentiſſimis opibus & exercitu irruptiones hoſtiũ pauci ſuſtineãt. Quis .n. populus adeo eſt fortis & tutus, qui nõ amicorũ fœdere ad caſus dubios vſus ſit. 83 Coniunctionẽ requirere neceſſitatem.

Romani sociorum comparandorum, & omni officio retinẽdorum gratia nihil laboris & industriæ remiserunt, *Arias Montan.in cap.10.lib. Iud.pag.616.* Ca-
84 Quænam in fœderib. contrahen. discauenda.
uendum vero maximè, ne vtilitatis & priuati commodi vindicandæ iniuriæ leuiusculæ illatæ gratia & respectus occulti honoris vani, voluptatis ludicræ, ludi iociq; gratia vel securitatem in carnis mortalis brachio quęrens quis contrahat fœdus. Nisi enim quis ad Dei gloriã, proximi dilectionẽ, patrię, libertatis, subditorũ conseruationem respexerit, & vt maiestas & religio salua sit, is finem & effectum fœderis vt non considerat, sic neque causam & principium eiusdem intelligit: & ob dictas rationes fœdera reprobata sunt, in Asa Rege Iu-
85 Fiducia fœderum nihil suscipiendum.
dæ. Quis enim non vltrò concederet, fœdera diuturna aut salutaria esse non posse, si fiducia virium & potentiæ propriæ & fœderum spe non necessaria suscipiantur, si dispares sunt confœderati, si non vnum & solum publicum, sed priuata sub prætextu publici quæsierint, *2 Paralip. 16.* & Iosaphat, *2. Paral. cap.19.*

Ex his omnibus nullo negotio obices à Sigefrido isto obiecti, remoueri possunt, qui vel malitiam hominũ vel abusum rei optimæ, vel incertum confœderationis euentum concernunt.

Consensum relligionis in confœderatis requiris, in fidei capitibus decisis & necessariis ad salutem? Non iniuria. Quæ enim Prophetæ & Apostoli docuerunt, ea omnia vera esse & fidelibus ad salutem prodesse & sufficere per fidem, *Rom. 15. 2. Timoth. 3. cap. 1. Thess. 2. Matth. 20. Luc. 10.* Quis negaret? cum procul dubio is mẽdacium, non veritatem quærat, qui post semel inuentam veritatem longius quærit, vt Impp. Valentiniani & Martiani constitutio habet; verum etiam in nõ decisis publica synodo, si cum expresso verbo Dei pugnent: vel non necessariis ambitiosiorum Theologorum concertationibus nondum decisis, quæ meræ sunt scientiæ? periisti. Frustra talem consensum exigis, vel euertis pacem relligionis cõstitutione publica inter Pontificios & confessionis Augustanæ socios factam: 86 Consensus in relligione quis exigatur.

Vnitatẽ fidei, pacẽ religionis laudamus merito, quam tamen vnitatem Ecclesię non in vno homine, ſed in vno capite immortali, vna fide & doctrina conſiſtere cũ Cyprian. ſentimus *De ſimpl. cler.* alias de vnitate eccleſiæ, quam allegare video *Molin. de Sc. Fran. contra paruas datas, pag. 154. num. 22.* Ac valde leues ac malitioſos eſſe turbatores, qui ob diuerſam relligionem cõtrouerſorum articulorum in multis aliis conſentientes, fugiendos, damnãdos & anathemate feriendos eſſe clamant, grauiter demonſtrat *Dominus della Noue. diſc. 3. pag. 82. & ſeq.* Iſtis magiſtris ſi ſumus creduli, qua mente, quib. viribus, quo conſenſu, cõtra Mahometẽ cõiunctim pugnabimus? Scio hãc ſententiã neq; P. Coreto, neq; autori Autonomiæ, neq; Poſſeuino, neq; Lẽſco, neq; Pamelio, neq; aliis etiã Auguſtanæ cõfeſſionis ſociis, neq; Ariæ Montano ad *cap. 8. Iudic. pagin. 330.* neque Scipioni Ammirato, *lib. 11. diſcur. 3. ad Corn. Tacit. pag. 205.* placere: verum non illorum infectum cerebrum attendendum; ſed exemplum Moyſis, Chri-

87 Ob diſſenſiones in nõ ex SS. deciſis, fœdera non fugienda.

ſti,

sti, Pauli, imitandum, & perpetuum axioma statuendum, *Dilectionem Christi omni scientiæ præferendam, neque illum, in quo aliquid Christi, damnandum.* Vlcus & scabies est, quicquid ad cõtrarium muniendum adferunt, & dogma illud perniciosum, tunica tantum à Diaboli traditis distat, quod Posseuinus tam acerbè defendit in iudicio de *Nuæ, Bodini, Mornæi & Machiauelli* scriptis, quod tamen iudicium vniuersum absq; iudicio scriptum eruditi putant. Quousque tandem horrentia incendia vorabunt medullitus misellos laicos? O litigiorũ rabies! ô furens Erynnis! cum desint Nerones, ipsi sacerdotes damna & ignẽ ter tremendum ementes, persequuntur sacerdotes.

88 Illũ in quo est aliquid Christi, non condemnãdum.

Iudiciũ Posseuini absq; iudicio scriptum.

89 Sacerdotes Sacerdotes persequi, cũ desint Nerones.

--- *Ecclesia & Relligio*

Non nunc alieno cadit impetu: sed eheu!

In sua viscera, non sua, sua dextera sæuit.

Cũ extremè inimico relligionis, tamen nõ nisi in extremis cõstitutus cõtrahat. Verendum enim est ne tempore necessitatis deserat, *Frachett. in princip. libr. 1. cap. 20. pagin. 156.* In eo esse debebant

Theologi, & omnes boni viri, vel lege Persarũ edocti, *Herod. lib.6.* vt vnusquisque princeps plurimas alias gentes ad relligionem traheret, nec superbia, luxu, tributis relligionem suspectam faceret. Tributorum acerbitas Wãdalos à relligione deterrebat, *Crantz. libr. 4. Wand. cap. 6. & cap. 24. pag. 93.* licèt generaliter verum sit, nimium tributum, vel censum, quem pro tributo accipimus, *tot. tit. Pand. De censib. tot. tit. C. si propt. publ. pens. Zas. in intell. sing. lib. 2. c. 3.* impositum, mouere subditos ad rebellionem & seditionem. *Tacit. 3. annal. & lib. 4. annal. lib. 13. annal.* vox sit populorum auribus inuisa animisque infesta, Tributum, *Com. cap. 84.* attamen iis imperia & respubl. carere nequeunt, *Tacit. lib. 13. annal.* cum in iis neruum Reipubl. consistere dixerit *Vlp. in l. 1. §. 20. De quæst.* quies enim sine armis; arma sine stipendiis; stipendia, sine tributis consistere nequeant, *Tacitus 4. hist. Et Imper. in Nouell. const. 149. cap. 2. Gentilis lib. 3. De iur. belli, capite 4. pag. 494. P. Gregorius De Republ. libr. 3. cap. 2. Celsus Mancinus de iuribus Princip. lib. 6. cap. 4. 5. 6.*

90 Tributis & similibus relligionẽ non faciendam suspectam.

In tributis neruũ Rei publ. consistere.

P. Hei-

P. Heigius quæst. 17. 18. præſertim tumultuarium tributum ſæpius neceſſarium; *Dio in Aug. Liu. lib. 3. Godeſ. Stewich. ad lib. 3. Veget. cap. 5.* Quid vero de impio ſtatuendum, infra explicabimus. Pii vbicunq; ingrediuntur, ſine arcu & ſagitta, & absque ſcuto & gladio pugnant, & euincunt, *Iudith. cap. 5.*

Ob improbitatem vitæ fugiēda fœdera cenſes? Vites itaq; omnis generis conuentiones: etiā Vngariæ cum Turcis pactiones. Ob inſperatas viciſſitudines fœdera improbas? Rerum naturam mutes. Superbiam, immoderatumq; faſtum accuſas? Abuſum accuſas. Infidelitatem & inconſtantiam deploras, & potentibus non fidendum aſſeris? Dum caues, alii te decipient. Deo ſoli & protectioni diuinæ omnia tribuenda clamas? Ergo media tollis. Cum aliis fœdera inita times? Nō times quod ſolus es. Diſſenſionē ex fœderibus probas oriri exemplis. Facilior extra fœdus erit. Infauſtum prælium times? Vinci ſolus peius erat. Pacem laudas? Non immerito, tāquam totius felicitatis fru-

91 Ob improbitatem cōfœderatorum an fœdera fugiēda.

92 Quænam fœdera impedire non debeant.

ctum, & quidẽ autoritate diuina: inquit
91 Pax res optima. enim Moiſes, Dabo pacẽ in finibus ve-
ſtris, dormietis, & nõ erit qui exterreat.
Leuit.26.v.6.Deut.3.verſ.20.Ioſuæ 1.verſ.15. Num.6.verſ.22.26. Ioſ.21.verſ.43. Ieſaiæ cap. 23. & cap.32. vbi pacem, *ſuperbiam* vocat, *cap.26.verſ.12.cap.45.verſ.7.cap.9. v.8.1 Theſſ.5.verſ.23. Bellin. de re milit. part. 10. tit.2. num.6. & ſeqq.* vt Claſſicorum encomia & cõmoda pacis, quę poſt ſuauiſſimũ in dicendo Iſocratẽ in oratione de pace Petrarcha recẽſet in *lib. var. epiſt. epiſt.1.* omittamus, ab aliis corraſa. Nil placitũ ſine pace inquit *Pind.* & pacem appetibilẽ ab omnib. teſtatur *Dionyſius Areopag. De diuinis nominibus, cap.11.* eamq; quatuor remediis retineri poſſe
94 Pacis encomia. docet *Kempiſius lib.2. De imitando Chriſto, cap.25.* & illos qui pacẽ ab omnibus appetendam negant, refutauit *Dionyſ. Carthuſ. dict. cap.11. ar.65. pag.603.* præſertim ſi conſideraueris pacem quã cum Deo habemus, illa enim ſuperat omnẽ ſenſum, *cap.4. ad Philip.* Cæſar multam pacem præſtare nobis poteſt, non tamen à febre, non à naufragio, incendio,

ter-

terræ motu, fulmine, à luctu, ab inuidia, *Arr. Epict. libr. 3.* Deus poteſt: vbi pax, ibi omnium rerum perfectio; & vbi omnia completa ac perfecta ſunt, ibi etiã omnia ſunt pacata & quieta, quod *Schalom* apud Hebræos elegans Etymon denotat, *Albericus in l. 1. C. De caduc. toll. Antonius Peregrinus libr. 5. de iure Fiſci, tit. 2. Marſil. Patauin. libr. 5. cap. 19. P. Gregorius libr. 11. cap. 13. pag. 685.* quibus ex Bacchylide de pace adiicimus, quę ferè à nullo hoc argumentum pacis tractãte, citantur:

Pax noſtris bona noſtris rebus adfert.
Creſcunt diuitiæ rubentis auri;
Flos Muſis nitidus rubentis auri,
Paſſim carmina melle dulciora.
Leges iuſtitiæ vigent parentes.
Et feruet pietas, timor, fidesq;,
Ardet viſceribus, forisq; lucet,
Multos officiis iuuans honeſtis:
Non fucos ſimulans, opusq; fictum.
Stat lex coniugii ſuis ligata
Neruis, & cytharæ ſonant pudicæ;
Exultat choreis decens iuuentus,
Dum vini recreat ſenes voluptas,

Et dum lætitia iocisq; candor
Implet pectora pallidaque, liuor
Mærens exulat hinc nigros ad Indos.

Pacis commoda & belli incõmoda patriæ exemplis declarat *Æschines in orat. de falsa legatione.*

95 Pacis amorem insitũ animis. Certissimũ est insitum natura mortalibus pacis amorem, & nihil animis acceptius & auribus suauius, & quod nostros sensus tum retineat, & artus ꝑmoueat. Quis enim vocem illam prudenti & magnoviro, in primis Christiano indignam laudabit, quam Clodius Albinus fertur in Scholis inter pueros cantasse:

Arma amẽs capio, nec sat rationis in armis
Arma amens capio, &c. ---

Quod refert *Claudius Coterinus De priuil. milit. cap. 25.* cũ Martis imperium nõ sit è Republ. plenumq; iniuriarum, iniustitiæ, contemptus legum, & difficultatũ, *Isocrates in dicta oratione de pace.*

96 Pacem prudenter laudandam & viriliter. Laudes tamen ita pacem, ne omnibus rebus eam præferas: ita existimo, inquit *Polybius lib. 4. hist.* fugiẽdum quidem esse bellum, non tamen ita fugiendum,

vt o-

vt omnia, ne in id incidamus, ſuſtinere perpetique velimus. Quid enim vel æquabilitatem in Republ. vel fiduciã vel libertatis iucundiſſimum nomen laudaremus, ſi nihil omninò eſſet paci anteponendum? Sed neque Thebanos laudamus, quod tempore Medici belli, vt à communi Græciæ periculo eſſent immunes, ea per formidinem elegere, de quibus poſtea periclitati ſunt. Neq; Pindaro aſſentimur, qui in poëmatibus ſuis ciues hortatur, vt cæteris omnibus poſtpoſitis, pacem duntaxat & tranquillitatem amplectantur: Pax enim ſi iuſta & honeſta ſit res, eſt certè omnium rerum pulcherrima atque optima. Nihil tamen aut eſt faciendum iniuſte, aut patiendum turpiter, vt pace frui valeamus. *pag.309.* Cui ſubſcribit Demoſthenes dicens, (quem locum allegaſſe video *P. Gregorium lib.11.cap.13.nu.5.pag.683.*) Bellum honeſtum turpi paci præferendum, & *M. Tull. Philipp.4.* Pacis, quæ poteſt eſſe cum Antoniis ratio, in quibus eſt incredibilis crudelitas, fides nulla & tantum paci ſtudendum, &

consulendum, quæ nihil sit habitura insidiarum aut turpitudinis, idē *M.Tull. 1.Off.* putat, & eo sensu bellū felicius pace dicebat Demosthenes. Hinc in historiis tā vituperātur, qui stulte suadere & turpē accipere, quām illi qui eā conseruare nec violare solent, laudantur. Et hoc temperamento omnes illi sunt accipiēdi, qui pacem cōmendant & pacis authores ac suasores extollunt, *Zuingerus in Theat. mundi, vol. 12. lib. 1. p. 2662.* Et epulas honestæ pacis confirmandæ causa institutas laudamus, quales Matthias Coruinus cum Vladislao Boëmiæ Rege magnifico apparatu, & cum Casimiro Poloniæ Rege ad Vratislauiā celebrauit, *Bonfin. lib. 5. Decad. 4. lib. 3.*

Eodē modo laudamus pacem in ecclesia. Nam maledicta est omnis cōcordia, pax & vnitas, qua inter se homines extra Deum conueniunt.

97 Gail quomodo accipiendus, affirmās pacē iniquā iusto bello præferendā.

Quod vero *And. Gail. lib. 1. De pac. pub. asserit, cap. 4. num. 42.* pacem iniquam iusto bello præferendam, eo sensu accipimus, si victoriæ nulla spes affulgeret: in ingressu enim & exordio belli iniustis-

iustissima causa iniustissimo hosti subdere statim iugum, effœminati, non ingenui hominis esse censetur. Quod etiam Isocrates fatetur in *Oration. 4. Panegyrica*, pacem turpem & contumeliosam Lacedæm. reprehēdens; vt nec boni ciuis est libertatem Germanicam in conscribendo & ducēdo exercitu propter abusum & iniquitatem improborum hominum exagitare, quod *Geilius de pace pub. libr. 1. cap. 4. num. 34.* Cautius & prudentius *Iohannes Sturmius in lib. De bello Turc. recte administr.* facit. Inficias ire neque possum, neque debeo, neque volo, sed dico variè & periculose sub prætextu huius libertatis peccari; sed obseruatis legibus & Constitutionib. in Imperio promulgatis, quid insuper requiris? nefas enim Germani ex antiquissimo more esse semper iudicarunt, implorantibus & suppressis opem denegare, *Iouius libro 32. historiar.* Eo tamen ipso non patrocinamur illis, qui corpus ac animam pro menstruo & incerto salario, virtutis & generis immemores, vendentes, liber-

98 Libertatis Germ. abusus.

tatem nullo precio nummario æstimã-dam neq; dehonestandam, conspurcãt & vitiant auream. Pax itaq; fœderibus non obstat, imo iis conseruatur, & bellum impeditur.

Quo pacto bellum accusandum.

Quamuis enim multæ & infinitæ calamitates ex bello oriantur, etiam iustissimo; tamen causæ malorum non in eos belli casus transferendæ sunt, qui postremo accidunt, sed ea delicta accusari debent, quæ materiam & ansam bello præbuerunt. Hoc amplius aliud cum vix in Republ. exspectandum sit, quam vt iam bella, iam pacem habeamus: istarum enim rerum alteratio vicissitudinaria in animis hominũ, & inter animalia etiam bruta cernitur. *Nulla respub. potest diu quiescere; si foris hostem non habuerit, domi inueniet:* Vt pręualida corpora ab externis causis non tuta videntur, sed suis satis ipsa viribus onerentur, verè poëta Satyricus:

Nunc patimur longæ pacis mala, sæuior armis
Luxuria incubãt, victumq; vlciscitur orbem.

Non

Non ignauia, inquit *Tacitus 15. annal.* magna imperia continentur, ſed virorum armorumque faciendũ certamen: & neglecto armorum tempore, pacis exercitio multas gentes periiſſe demonſtrat *Danæus lib. 7. cap. 1. Polit. pag. 477.*

Externa confeſtim continuatur diſcordia domi, (& Tacito teſte, longa pace deſides & oblita bellorum nobilitas *lib. 12.*) *Liuius lib. 2.* Quippe autore Iuſtino, ſecundæ res etiam ſapientum animos fatigant. Quæ enim alia res ciuiles furores peperit, quam nimia felicitas, *Valer. Max. lib. 3. cap. 12.* & quandoque vtilius eſt militare, quam in pace viuere, ne militaris ſcientia negligatur; qua neglecta, corruit diſciplina, quę Romanis liberorũ educatione antiquior fuit, *l. 19. poſtliminium, in fin. De capt. & poſt. reuer.* & in diſciplinæ militaris ſinu eſt tutela, ſerenus, tranquillusque beatæ pacis ſtatus conquieſcit, *Valerius Max. lib. 2. cap. 2. Quint. Mendoſ. §. 1. Quomodo in Mai. læſæ crim. proced.* Debilis enim pax, quæ eſt ſine exercitio armorum, *Barth. Philip. De conſilio & conſiliariis princip. Diſ-*

99 Nimiam felicitatẽ pace peiorem.

100 Diſciplinã militarem antiquiorẽ liberorum educatione.

curs.15. & vel hoc metu vicinis iniecto nos esse militares viros tutiores ab iis manebimus, *Dan.d.lib.7.cap.1.* at disciplina contemta, corruunt omnia, *Bellin.de re milit.par.8. tit.vnic.num.54.* Alexander
„ Seuerus verè dicebat, Disciplina maio-
„ rum Rempubl. tenet, quæ si labatur, &
„ nomen Romanum & imperium amit-
„ temus. Etenim disciplina non fortunæ munere Romanos Imperium quęsiuisse ait *Iosephus lib.3. de bello Iudaico:* cum non tàm magnitudine rerum, quam disciplina milites fiant, Probo teste, *Camerarius in meditat. histor. cap.5.* Denique sæpe vtilia sunt, quæ patimur mala publica; si finem cladium & effectum respexerimus, vt erudite & eleganter disputat *Lipsius lib.2. de Constant. cap.6.7.8. 9.10.11.*

Quæ volgo contra fœdera adducantur.

Sed ad rem redeamus: Etsi Philippus Melanthon politicorũ coryphæus, qui non nisi à pessimis contemnitur, in *proœmio Chron.* rationem, quare sæpè fuerint fœdera infelicia, post *Thucyd. lib.3.hist.* positam in personarũ dissimilitudine & causarum existimet, cum diuer-
sitas

ſitas morum & conſiliorum diſſoluat amicitiam. Conditiones enim inæquales ac voluntates contrariæ principum confœderatorum, ſunt tanquam murus ſine calce, qui ex facili accidente diſſolui poteſt. *Barth. Philipp. Diſcurſ.15. de Conſil. & Conſiliar.* Æqualis enim æqualem non curat; vndè prouerbium, Aſinum intumeſcere cum videt ſe comprehendi per comparem; ad quod *Marianus Socinus in c. poſtulaſti, num. 9. quæſt. 11. De foro competent. adducit l. Heres per ſeruum, 43. De acquir. heredit.* & prudenter ille: *Le pratiche le præparatione & le opere de confœderati, ſi diſſenſcono interrompono & variano ſecondo le forze, ſecondo fini & ſecondo conſigli de principi: onde non è facile il far ferme vnione, doue ſono diuerſita d'animi & di volunta, & varieta di conditioni.* Licet enim animorum promtitudine benè incipiant, nihilominus paucorũ dierum lapſu paulatim & ſucceſſiue frigeſcit ſpirituum ardor, *Celſus Mancinus Rauen. libr. 6. cap. 12. pagin. 236. De iuribus princip.* inpri-

102

Vbi contrariæ voluntates & fines, ibi diuerſas ſuſcipi & contrarias actiones.

mis, vt dixi, propter diuersos mores, varia instituta, varias opiniones in eodem negotio. *Il suspetto, il dispetto, il rispetto guastano tutto il mondo.* Nã vbi plures principes qui se pares existimãt, cõiunguntur, facile inter illos suspiciones cõtrouersiæque existunt. ex quo sæpe fit, vt res magna spe inchoatæ in multas difficultates incidant, ac tandem maximo spiritu suscepæ, euanescant, *Guicciard. libr. 5. histor. p. 644. Per cioche do vegli animi sono discordi riescono chandio differente operationi, da che non puo mai nascer cosa perfetta,* inquit Machiauellus: inprimis vbi plures sunt cõfœderati, qui cupiunt gubernare. Nihil enim in bello periculosius quam multos velle gubernare. Multi Duces perdidere Cariam.

103 Plures Duces perniciosos & perdidisse Cariam.

Et insuper verissimum sit illud Scaligeri: *Cõcordia fratrũ atq; tori sũt duo rara. Sed rara duo fœdera firmissima cœli.*

104 Historia lepida de senelegato sexagenario.

Etiam illud sapientis Principis Friderici Ducis Saxoniæ; *Bonum est facere fœdera, sed væ ei qui seruat.* Ac proletario sermone recitetur historia lepida, qua temeritas in fœderibus facile pangendis & sol-

& ſoluendis reprehenditur. Ciuitates videlicet, Imperiales & liberas fœdus inter ſe inire aliquando voluiſſe, & cõcluſiſſe vnanimiter, vt ad deliberationem de fœdere faciendo, viri graues & ſenes ablegarentur, & nullus qui eſſet infra annos 60. admitteretur. Vna ex iis iuuenem ablegauit ex cõpoſito, quem cum in conſeſſum reliqui admittere nollent, initio interrogaſſe quot annos haberet. Legatum admonitum de conuentione, ratione ætatis facta, reſpondiſſe, *Se dudum annos cẽtum impleuiſſe:* Senes ſe reſponſo irrideri putãtes, vel legatum inſanum opinãtes, vlterius quęſiuiſſe, quo pacto iuuenis aſpectu tot annos ſuſtineret? Reſponſum datum; *Se ante annum adhibitum fuiſſe ad ſimilem de fœdere aliquo confirmando quæſtionem ac deliberationem, ac fœdus initum ad annos 50. paulo pòſt ruptum & ſolutum eſſe: inſuper ſe meminiſſe denuo repeti & ſanciri ad annos 30. confœderationem. Verũ idem ad exiguum tempus duraſſe.* Quo reſponſo acuto & faceto percepto, quendam ex ſenioribus dixiſſe; *Iuuenem facie, rerum geſtarum*

commemoratione senem merito admittendum. Tamen & huic malo optime occurri potest, si prius cõstiterit de Principis animo an is mobilis, mutabilis in horas, vel constans sit, certa fœderis formula dilucidè & perspicuè conscripta, & iurisiurandi relligione & aliis pactionum vinculis confirmata obseruanda: Iuramenta enim interuenire debent in sanciendis fœderibus, vt infra dicemus, & patet ex *Polybii libro 9. Procop. 2.* Fatemur tamen non inuiti, facile inueniri exceptiones, quibus relligio Iuramenti euertatur. Probat hoc *Guicciard. libr. 16. & 17.* liberatione Regis Francisci iurata affinitate munita, neglectis tamen promissis. Vnde prudentes minus prudenter, Carolũ V. egisse existimant Franciscum dimittentem; qui enim affinitate credunt animum odiis plenum curari, vehementer errant; licèt nihil frequẽtius, quam bellis matrimonio finem imponere, *Duar. de rit. nupt. cap. 3.* Quemadmodum itaq; non sequitur, Armorum & omnium ferè rerum esse abusum: Ergo iis nõ vten-

Etiam iuramento fœdera munita euerti.

vtendum. Sic similiter nō procedit collectio, Multa fuisse infausta & infelicia fœdera, magnumque abusum eorum: Ergo. Crassa, insulsa & plumbea argumentandi ratio, vel in pueris reprehēdenda. Repetat Sigefridus Theologus Isaiæ sententiam *capite quinto*: Væ illis qui bonum malum, & contra, malum bonum vocant. Fœdera itaque per se & in se optimum pharmacum contra insidias & molitiones aliorum, aliquid veneni ex malitia hominum attrahunt: bona bonis, improba improbis. Abusus non tollit rei substantiam. Abutimur pretiosissimo verbo DEI: Ergo verbum DEI culpandum, vel numquam audiendum? minime gentium. Ex eodem fundamento facili labore ea refelluntur, quæ Thomas Morus vir insignis *libro 2. Vtopiæ, pagina 127.* tanquam præclaram in Republica cōmmēdat, videlicet Vtopiæ gentes, id est, prudentiores fœdera cum nulla gente ferire, cum naturæ consortium fœderis vice habeāt, & homines melius beneuolētia

105 Abusum nō euertere rei substātiā.

106 Thomas Morus notatus.

quam pactis, animo quam verbis coniungantur; neque eum qui naturam negligat, curaturum verba putet.

Honesta quidem oratio, quæ tamen momentosius pẽsiculata euanescet. Nã eo pacto nulli contractus nisi nudis verbis, ciuili obligatione remota, essent celebrandi; & si legibus munita ac iurata fides læditur, propter deprauatã hominum naturam & insitam labẽ; quanto magis simplex hominum loquela, vt plurimum fuco & fallaciâ plena?

Fugiunt itaque gentes fictæ in Vtopia propter abusum fœdera, vt & *Comineus* improbat, non quod fœdera per se sint mala; fugiunt ciuile fœdus firmius, naturale debilius retinẽtes. Et insuper ipsi fœdera, quæ tantum verbis, & non animo firmantur, iam dudum improbauimus. Nec moueri debemus sæpe ex interpretatione verborum fraudulenta violari fœdera; *Plutarchus in Laconicis, M. Tull. 1. Offic.* Quia eo casu cum Agesilao dicamus: Tissaphernem periurio Deos & homines sibi infensos reddidisse. *Xenophon. in Ages.* Nec etiam no-

107 Ex fraudulenta interpretatione fœdera violari.

stræ

ſtræ ſententiæ refrangantur, quæ mihi quaſi ex conſpiratione volgi quadam occurrunt, ſcilicet, ex fœderibus confidentiam, factiones, ſuperbiam, temeritatem oriri, & potentiam ſuſpectam à ſuperiore frangendam eſſe, *l. cum cognatum, C. de ingen. manumiſſ.* & eiuſmodi factiones & conſpirationes honeſto quidem nomine, pulchro & mitiſſimo tegi & nominari vniones, confraternitates; conſenſum, concordantiam, ſanctum fœdus, vincula, ligam ſanctamq;. Vocabulum *Ligæ* Henrico Stephano obſeruante, non eſt incognitum, cum quoque apud Vrſpergenſem; qui fœdus Pontificis contra Carolum V. *Ligam ſanctiſſimam* vocat, *Anno 1521. Pag. 158.* Et apud Guicciardinũ extet: Symmorias nomines. Veruntamen quandoque ſub iis vocabulis latere violenta, callida & calida conſilia ac conſpirationes. Nam reſpondemus cum *Zaſio conſil. 1. num. 12.* nos agere de honeſtiſſimorum principum fœderibus; & qui in Imperii Romani augmentum & cõfirmationem conſtitutionum Impe-

108 Confidentiam & temeritatem ex fœderib. non oriri.

109 Ligæ vocabulum.

110. Aliud dici & ſcribi, & aliud agi.

rialium coniunguntur: non vero de latronibus, conſpirationibus, pacis publicæ turbatoribus; quorum Tragici exitus vbique in hiſtoriis ſunt obuii: ſi qui tales fuerunt, eos nec imitari, nec eorum ſcelera; principi eſt pulchrum, *Nouell.Conſt.8.cap.11.*

III Diffidentiã & ſimultates ex fœderibus ortas non vitiare fœdera.

Rurſus non obſtat, ſi dixerimus, aliis in imperio anſam ad ſimiles confœderationes præberi, inde diffidentiam, ſimultates, imo bella oriri. Hoc enim ita diluendum, ſi ex alia parte fœdera eodem modo in Conſtitutionibus Imperii publicis fundata celebrantur, & contrahuntur, eſſe hoc ex re Imperii, & conducere paci publicæ; & cum ad eundem finem tendant, omnes ſuſpiciones deleri, cum vtraque pars ſtudeat pacem politicam & relligionis ſeruare: Sin verò fœdera panguntur non fundata in Conſtitutionibus Imperii publicis, ea merito autoritate publica reſcinduntur & tanquam illicitæ conſpirationes damnantur, & iuſte contrahentes puniuntur.

Eius-

Eiusdem farinę esse censemus, quod Morus putat, sanctissimis ceræmoniis inita, citissimè dissolui: in verbis calumnia inuenta & nunquam tam firmis astringi vinculis, quin elabantur aliqua, fœdusque ac fidem pariter eludant: hoc quamuis concesserimus, & etiam videamus & legamus Atheniensium varias hac de re querelas: dicimus tamen malitia improborum mortalium non tantum in fœderibus, sed omnibus actionibus humanis metuendum, in matrimoniis, pactis dotalibus, Emtione venditione, Locatione conductione, in testamentorum interpretatione, in familiæ erciscundæ iudiciis, in finibus determinandis & similibus.

Calumniosam interpretationē non vitiarē fœdera.

Mundum ergo vitandum, & omnem societatem humanam erroribus plenam, vel communionem rerum omnium introducendam dixeris; qua tamen via nullam fraudem, nullam circumscriptionem expectādam multi frustra opinantur. Relego itaque Morum in Vtopiam, nullibi existen-

tem: quamuis *P. Gregorius* in rerum natura apparere affirmet: non procul à Gallia forsan sitam.

Fœdera in se & per se bona Sycophantarum malitia mala effici.

Fœdera bona per se & in se concessa sunt: si aliunde vitia accesserint, quę in hac omnium rerum deprauatione ac humana imbecillitate præcauere non possumus, ex malitia & peruersitate sycophantarum accedũt; quos fugere debebant fœdera contrahentes. Hîc non disputabimus amplius cum quibus liceat fœdera contrahere, quia est contra ordinis naturam; hoc tamen libet attingere, cum quibus quidem liceat, sed non expediat: quæ non minus differunt, quam nos posse, sed non debere. Sat est in contrahendis fœderibus scopum attingere, quod est vtibile, vt videlicet confœderati mutuis auxiliis adiuti in sua ditione cum honestate pacificum & tranquillum statum retineant: Et hoc propositum si in confœderato deprehendis, de reliquis occultis animi vitiis, quæ plerunq; latent & non patent, non eris sollicitus: multa enim sunt ferenda, etiam in sanctis, vt suprà dixi;

Ordinis ac tractationis defensio.

Quodnam propositum etiam non vndiq; perfectis confœderatis spectãdum.

dixi, donec altera & melior vita perfectam vndiq; & integram mentem & animam puram nobis adferat. Nam

Viciis nemo sine nascitur; optimus ille est
Qui minimis vrgetur. ---- Et virtute præditus ille dici poteſt, & is qui non omnibus ornatus viuit, quemadmodum felix Arabia dicitur, licèt in ea non naſcatur nux caſtanea. Felix Ægyptus & fertilis, quamuis careat venatu caprearum. Abſtemius felix, etſi abſtemius. Ebrium itaque aliis donis ornatum ab hac conuentione non excluderem: verum ebrioſum magna ratione. Ebrio enim tantum quatuor pocula porrigimus: primum ad ſitim, ſecundum ad lætitiam; tertium, ad voluptatem; quartum, ad ebrietatem. Ebrioſo vlterius quintum, ad iram: ſextum, ad litigium: ſeptimum, ad furorem; octauum, ad ſomnum: nonum, ad morbum: decimum, ad perpetuam inſaniam; & hic ſponte quæ interpretes iuris, more minimè malo de Ebrioſo congerunt, omitto, omnibus, inprimis

Confœderatum licet non omnib. virtutibus preditum, recipiend.

Ebrium, nō ebrioſum recipiendū.

Quot calices ebrio ac ebrioſo exhibendi.

in Tiraquello obuia, *Ruland. in tract. De commiß. cap. 23.*

Principum virtus præcipua.

Cum verò præcipuorũ Principum ingenia principibus aliis probè etiãper legationes, ſub alio prætextu inſtitutas, inquirentibus, non poſſint eſſe incognita (cum præcipua eorum ſit VIRTVS noſcere homines, *Scip. Ammirat. in Corn. Tacit. Diſcurſ. 9. lib. 13.*) ea non tantum expiſcari, ſed etiam conſilia, potẽtiam, opes, amicitias, intentionem, vitia, inprimis cauſam impulſiuam fœderis cõtrahendi induſtrius Princeps cõſiderare debet, vt infra fuſius dicam.

120 Improborũ ſocietatem fugiendam.

Fugiat Princeps inprimis ſocietatẽ illorum, in quib. vt de Alcibiade totius corporis forma & oris dignitate præſtãtiſſimo *Plutarch. in vita Alcib. & Liuius loquitur lib. 1. Decad. 3.* Crudelitas, perfidia, nihil veri, nihil ſancti, nullus DEI metus, nulla iurisiurandi relligio, nulla fortitudo, nulla conſtantia: morum tamen ingentia vitia in Alcibiade, ſub vmbra fortitudinis, & eloquentiæ latebant, *Iuſt. lib. 5.* Nam etſi opulentia, genus, amicorum copia, aliaq; permulta

Alcibiadis improbitas

Alci-

Alcibiadi ad dignitatem in Repub. obtinendã profuerint, tamen maluit non iis omnibus, ſed eloquentia placere populo, *Plutarch. in vita Alcibiad.*

Talem fuiſſe Pontificem Alexandrũ Sextum patriâ Hiſpanũ, ex Borgia gente natum refert *Guicciard. libr. 6. pag. 550.* qui immoderata ambitione & peſtifera perfidia, omnibus horrendę crudelitatis, mõſtroſæ & nefandæ libidinis, ac inauditę auaritiæ exemplis notatus; ab ineunte tamen ætate ad extremũ ſuum vitæ diem, ſingulari ac perpetua felicitate vſus eſt. Cuius, quod DEVS in hoc mundo non fuerit memor, ſignum eſt potẽtiſſimum futuræ reſeruatæ pœnæ. Non ignoro Molinæum contra paruas datas ad *Sc. Fran. pag. 239. num. 73.* tradidiſſe, non minus tutò cum Papa ac Turca fœdus inire, negante ſucceſſore ſibi legẽ imponi potuiſſe, & iuramentorum apud Pontifices propter abſolutionem inane nomen. Verum in vniuerſum hæc ſententia probanda non eſt: cum fuerint & ſint in numero Pontificum & Pontificiorũ boni, probi

Alexander VI.

An cum Põtificib. fœdera cõtrahenda.

& pii viri, vt *Iohan. Sturm. ſcribit in prologo ſagato, Tract. de bell. Tur. recte administr. Pag. 11.*

Reperiuntur etiam inter ſeculares moribus & vita corrupti, à quibus parum differre, cogimur fateri, ſi *Iouio libr. 11. 16. 18.* credimus; Regem Ferdinandum, Catholicum vocatum, alioquin multis nominibus ab aliis commendatum: illum enim ſolitum ſcribit cunctas belli rationes, fœderumq; iura vel cum pudenda mutatæ fidei labe, & graui ſociorum iniuria ad ſuum cõmodum referre; idem de Ludouico Galliæ Rege Chriſtianiſſimo aſſerit, ſubiiciens: Ex horum Regum ingeniis liquido eſſe compertum, nihil omnino ſanctum vel ritè conceptis fœderibus reperiri, quod in augendis opibus fide integra doloue nolint. Ea enim rurſus ait Iouius nimis audacter; Omnium Regum fides, vt pro libidine ſanctiſſimas fœderum leges attrectare violareque non dubitent, cum ſemel præſenti tantum commodo, atque ipſis temporibus eſſe cenſuerint

Regis Ferdinandi Cath. impietas.

Regum ingenium.

ſuerint aptandas. Talis vita, ſi tibi cara vita; Generaliter enim ſciendum eſt illud *M. Tullii 3. Offic.* veriſſimũ: Nulla nobis eſt ſocietas cum Tyrannis, ſed ſumma diſtractio; & hoc omne genus peſtiferum atque impiũ ex hominum communitate exterminandum eſt. Tales vero fœdifragos improbosque tandem puniri dictitat S. Scriptura, & multis exemplis probatur, vt infra explicabimus ex *Liuio, Æliano lib. 12. Polyb. lib. 2. 3. 4. 5. Fulgoz. lib. 7. c. 3. Anton. Bonfin. lib. 26.*

Nullum fœdus cũ Tyrannis ineundum.

Fœdifragos punitos.

Porro cautio ſit, ne facile cum exteris, niſi hoſti tuo vicinitate cõiunctis, & qui non in proximo habitant, tum inuitis fœdus ineas: quod plerunque pernicioſum fuit: fœdera cum mandato coniuncta, fugienda docet *Iſocrat. in Orat. Archit.* Nunquã enim ſtabile & diuturnum, quod à remotiſſimis & inuitis promittitur animis, *Dion. Sicul. lib. 20. Iuſtin. lib. 22.* quod Galli & aliæ gentes ſuo malo hiſtoriis teſtantibus didicerunt; quia fœdus inter vicinos firmũ ac diuturnum cõſeruat metus & æquitas. Notiſſimum eſt dictũ Italorum, de via collectum:

L' acqua fontana non ſpegne fuoco vicino.
Fœderationem enim & communicationem per interiecta loca diuerſa interturbari, notat prudẽtiſſimus vir, multarum ſcientiarum, *Arias Montanus libr. 1. Iud. cap. 1.* Licet vero vicinitas, quæ Terentio etiam affinitas, in *Heaut.* dicitur, præpotentium virorum pauperibus mala ſit, & Cardano ſimiles vicini dicantur, *Heſiod. & Columella* obſeruante *lib. de re ruſt. 1. cap. 3.* Et verum illud Iuuenalis;

Inter finitimos vetus atq; antiqua ſimultas
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus.

Et nihil moleſtius quam in vicinum improbum & auarum incidere, *Demoſth. in Orat. contra Calliclem. Alber. Gentil.* ad quod multa allegat *lib. 1. de iur. belli, cap. 16.* Tamen quantum in vniuerſum bonum ſit bonæ vicinitatis, non ignorauit Themiſtocles, qui prædium quodpiam ſuum præconis voce venale proclamaturus, hoc quoque ad laudes prædii iuſſit addere præconem:

Quod

Quod vicinos haberet bonos:
Ὅτι καὶ ἀγαθοὺς γείτονας.

Debemus itaque nos potius in vicini tutelam & fidem committere, quam extranei protectionem, *Herod. lib. 6.* Vicini namque ferre non debent, vt vicino libertas eripiatur, *l. 3. §. 9. De homin. liber. exh.* Nemo enim prohibendus est libertati fauere. Num verò melius sit minus potens princeps se coniungat cum vicino, vel potentiore remoto, eleganter disputat *Boterus Discurs. 24. sopra la ragione di stato.* Et quamuis discursu 25. concludat, potentiorem per interiecta loca potius eligendum; tamen ob rationes ab illo allatas, à generali regula non discedimus; interim non negantes, in omnibus actionibus humanis consilia ratione necessitatis legibus non astrictæ, temperanda: repetita limitatione superius posita, Si remotior vicinus mei hostis fuerit. Nam ii semper sunt eligendi, vel iis adhærēdum, qui plurimum nobis in bello prodesse vel inimici nocere possunt, *Liuius lib. 8. Dec. 1.* Insuper vicinitatē ex eo

128 Melius esse certo modo cum potentiore remoto, quam cū vicino infirmo contrahere fœdus.

laudamus, quod gentiũ vicinitates plurimum valeant ad animos ciuium cõmouendos, *Iustin. Curopalates Const. 3.* Remotum tamen non appellamus, qui lõgo itinere nobis abest, sed illum qui nõ facilè se nobis coniungere potest. Remotus itaque non dicitur in hoc argumento, qui maris, Rheni, vel Danubii beneficio, secundo flumine, longum iter breui temporis spacio perficere poterit. Largius enim vicinum, ac IC[ti] Romani accipimus: illi enim vicinum definiunt, cuius vox exaudiri potest, *arg. l. 1. §. eodem, ad Silla. Menoch. De arb. iud. libr. 2. Cent. 3. casu 222. num. 14.* & illum qui habitat in eadem via iuxta nos, *l. si vicinus, C. De nuptiis, Rebuff. in l. 239. §. oppida, De verb. sign.* quę etiam vicinia raro sine iurgiis & rancore, *Petrarcha De Rem. vtriusque for. Dial. 31. lib. 2.* Si vero non licet fœdera cum vicinis inire, & ii nobis sint formidolosi, serendæ vel alẽdæ sunt seditiones & discordiæ, vt frangantur vires vicinorum: idq; vtilius quam aperta bella contra istos gerere, vt docet *Tacit. lib. 2. annal.* vel per cõiugia nobis cõiungen-

129 Vicinitatis vis.

130 Remotus quis?

iungendi sunt, *Cominæus cap. 116. & 117.* Postquã Vespasianus homo valdè circumspectus, ex cuius ore nihil insolens vel gloriosum exiit; in quo nihil tumidum, arrogans, aut in rebus nouis nouum fuit, & qui sic sibi animos aliorũ obsequio conciliare potuit, vt tandem sibi quoque obsequentes redderet, dixerit, teste Dione, Potentiam & pecuniã esse neruos imperii. *Scipio Ammiratus in Tac. Discur. 9. p. 430. Che i denari sono il nerуo della guerra*, vt supra dixi. Prius, inquit Thucydides, nos colligamus pecuniã, nec ante nos sermonibus sinamus impelli: non frustra enim opes ciuitatum Demosth. dixit πίστιν καὶ εὔνοιαν συμμαχῶν: vt insulsum sit dogma Machiauelli, negantis neruum belli esse pecuniam: nam illud paradoxon, nec distinctione sustineri potest: quâ putant valdè ineptè, quo ad militem mercenarium, neruum rerum gerendarum, nõ etiam quo ad proprium. Quin hodie etiam proprius non militat extra regionem gratis aduerbialiter, sed in datiuo casu, *Demosth. 1. Olynth.* idẽ in *Philipp. 1. orat.* cum

131 Cum infirmis fœdera non contrahenda.

132 Pecuniam esse neruum rerum gerẽdarum.

133 Distinctione supra dictum paradoxon, defendi non posse.

etiam extra regionem propriam quærēda ſint victualia: certe potētes cōfœderati ſunt quærendi. Qui .n. ob domeſticum luxum ſunt imbecilles, & ad pugnā & res magnas gerēdas inepti, & potētiâ minores, nō ſunt ſoli eligēdi. Cur enim te miſeris & infirmis, fulcrū, fulcimentum ſocium quærens, vis iungere? querunt cū quagente cadāt. Tu itaq; in caducum parietem ne inclina, niſi ſit talis ruina, quæ te quoque trahat, inquit *Tacitus*: tunc enim te iunge, aut occulte iuua. Docet enim prudenter *Tacitus*, eo pacto ſocietatem alterius palam ineundam, vt ad alterum per occulta & fida magis inclinare poſſis, in quem vſum, ſupra adducta iura & præcepta applicat I. Lipſius non incom-

133 Potentia in quibus conſiſtat.

modè *libr. 4. Polit. cap. 8. & 9.* Potentibus ergò ſe iungat, & de potentia cogitet, quam pariunt diuitiæ & opes. *Vaſquius in præfation. libr. 1. illuſt. quæſt. num. 77. cum ſeqq.* eaque potentia, fines Imperii, opes, nūmi, & opera, imo virtutes ipſius Principis, viroſque comprehendimus cum *Lipſio libr. 1. De magnitudine Roman.*

man. Imper. cap. 3. libr. 4. cap. 11. Potentes itaque quærimus: quia paupertatum statui Principis minime conuenire scimus, *Celsus Mancinus libr. 5. capite 1. De iuribus Principatuum, pagin. 156.* Nam vt concludamus cum Isocrate in *oratione 4. Panegyr.* Societates potentiores ad securitatem multum præstant, & egestas societates dirimit: quamprimum enim collatio annua vel menstrua, in corroborando thesauro confœderatorum cessat; **Daß man den verlägh nicht stercken kan** / cessat etiam fœdus, vel minuitur, & in nihilum redigitur: noli exigere vt probem exemplis; infra enim dicam, vnde Demosth. passim; vt & in *2. Olynth.* solet patrocinari diuitibus; intelligit enim neruos esse Reipubl. locupletes. Cum infirmo itaque regulariter fœdera ne pangas, nisi forsan cogitaris diutius perdurare conuentiones, quas maior princeps cum minore celebrat. Cum enim minor maiorem timeat, honoret & quodammodo veneretur, efficitur, vt minor princeps maneat constantius in officio:

134 Egestatem dirimere fœdera.

inde etiam in comitiis videmus minores Principes vt plurimum astipulari maiorum votis & sententiis. Facilius dissoluitur fœdus, quando vnus ex confœderatis est æmulus alterius, propter æqualem virtutem vel potentiam, *Mãcinus lib. 6. cap. 12. De iurib. princ. pag. 237. Machiauellus lib. 1. Disputat. in T. Liuium, c. 11.* (qui idem examinat illam quæstionem, quibus magis fœderibus credendum cum Repub. libera, vel Principib. initis, *lib. 1. cap. 59.*) Quæ ex tali coniunctione infirmi sc. ac potentis Reipublicæ & principis acciderint, nō libet cōmemorare: nam tanta est in historiis hac de re, misera narratio, vt vix quærendo & plorando irritare dolorem ausim. Sed quoniam cœpi veluti euagari de infirmo disputando, rursus dicam

135 Quandoq; cum infirmo fœdus contrahendum.

necesse est, regulariter cū infirmo fœdus non contrahendum: sæpius tamen fit, vt non iungamus exiguæ potentiæ, at summæ prudentiæ Principibus. Plus enim in confœderatis quam opes, pecuniam ac potentiam desideramus. Animi enim dotes, fides, fortitudo, prudentia;

detia, magnanimitas sæpe opes in principibus superant. Attilio Regulo fortissimo viro exiguus fundus satis fuit, animus magnus gratior. Æmiliis sexdecim vna domuncula & vnus fundus fuit. Publio Scipioni funus de publico solutum, ob rei familiaris angustias. Menenio Agrippæ iusta à populo Romano & Valerio Publicolæ facta. Quis cum his non libentius ac cum Crasso locupletissimo, & aliis magnificis, de quibus *Lips. De magnit. Rom. lib. 2. c. 12. 13. 14. & Boterus lib. 7. Di stato p. 185.* Nerone, Domitio, Augusto magnā pecunię summā in impurissimū spectaculū effundēte, vel cū Atheniens. Demade, pecuniā in impurissimas res cōferente, vel cum Alexandro Macedone, talenti coronā Promacho bibacissimo dāte; vel cū Heliogabalo, quē *Elagabalū* scribendū contendit Æneas Vicus, onustas naues in portū mergēte; vel cū Papa Iohāne 22. relinquēte ducētas quinquaginta auri tōnas, teste Petrarcha, vel cū aliis ignauis fœdus cōtraxisset; vel etiā cū Antiocho profusissimā prodigalitatē exercēte.

136
In cōfœderatis aliquādo potius dotes animi, quam potentiam spectandas.

Fabricii re familiari angusta contenti; cõsilio gesserebella grauissima, &gloria abundauere: & dixit Fabricius vir erecti ac sublimis animi, *malle se imperare diuitibus, quam diuitem esse.* Manet tamen perpetuò verum axioma, Principẽ numerum militum, tum peditum, tum equitum considerare & de sumptibus ad stipendia illorũ necessariis cogitare debere, *Mancin. lib. 6. De iur. prin. c. 9.* & quidem ex doctrina Christi, *Luc. c. 14.* Nunquã Principẽ ad magna tẽdentem pudebit, magnis rebus peractis, & immortali gloria quæsita honestã inopiã profiteri; vt in simili loquitur *Ammianus Marcellin. lib. 24.* adquirẽti enim gloriã, dignitatem & maiestatem, reliqua vix deerunt: & gloriam militarem prædæ hostili ac opibus præferendam, docet præclaris exemplis ex *Plinio lib. De viris illust. cap. 33. Valer. li. 4. cap. 3. adductis, Camerar. in meditat. hist. c. 78.*

137 In Bello ante omnia de sumptibus necessariis cogitandũ.

138 Gloriã militari prædę hostili præferendam.

Similiter potentibus sæpius præfero Principes, qui miræ sunt artis in sollicitandis gentibus imperioque iungendis suo: qualis fuit Asdrub. Carth. & de Pyr-

Pyrrho dixit Annibal, quod artem ſibi conciliandi homines habuerit, vt Italię gentes regis extremi, quam populi Romani imperium mallent. 139

Artem ſibi cõciliandi homines magni faciendam.

Tutius eſt Regnum officiis, quod & arte paratur;
Quam quod cæde virûm, diriſq́ adiungitur armis.

Talia multa ſunt in ſocio, quæ diuitiis præualent: vt ſi confœderatus ſolus periculum ſubeat, vt de priuata ſocietate ICtus loquitur in *l. ſi non fuerint 29. §. ita corri. pro ſocio*. Rurſus ex hac ſingulari doctrina, licitè regulam nõ extruimus: ſed vtilius eſſe cum eo contrahere fœdus ſtatuimus, qui collegit theſaurum quam cum egeno; *Boterus libr. 7. Di ſtat. pag. 187.*

Hic forſan aliquis absq; vlteriori deliberatione cõcludit, ex fundamẽto potentiæ iam poſito, cum Hiſpaniarum Rege potẽtiſſimo, omnium Chriſtiani orbis Principum, fœdus contrahẽdum; diſputatio non tã facilis ac expedita, vt primo intuitu apparet: propter multas ac magni momẽti rationes. Scimus .n. 140

An cum Hiſpano, Germanis ſit fœdus contrahẽdum.

141 Fœdus non incundum propter variarum regionum defensionem.

& cõſtat inter omnes; Regiones Regis Hiſp. variè eſſe diſtractas, & inde fines etiam varios ſumptibus magnis & armis fortiſſimis defendẽdos, & aliis potentiſſimis Regib. exorta lite, ac bello moto repugnandum: *plurima bella, vbi multa regna.* Ita enim plerumque fit, vt quo quique pluribus imperiis valuerunt, eô maioribus bellis eos fuiſſe vexatos & odiis aliorum grauatos.

142 Hiſpanos & Germanos naturaliter diſſidere.

Deindè diligenter proſpiciendũ, vt inter gẽtes, quarũ Reges vel Duces fœderaiungũt, bene cõueniat, rationemorum, ingenii & linguę: naturaliter vero videntur diſſidere Hiſpani, ac Germani, quod innatum inſitumq; odium bello Germanico & Belgico mirificè fuit confirmatum, inprimis crudeliſſimis actionibus Ducis de Alba, & Hiſpanica inquiſitione introducta ſtabilitum: ex quibus eæ exortæ ſuſpicionum radices, quæ non molli brachio euelli poſſunt vnquam. Ita enim opinatur volgus, forſan falsò, quaſi Rex conſtituerit, Concilio Tridentino inuecto relligionẽ in Auguſtanis Comitiis, & in-

& insuper multis insequentib. annis & cõstitutionib. approbatã, tanquã ad annos concessam, vt scribit Autonomus Frãciscus Burchardi, cũ gente Germanica delere; præsertim opinionib. crescẽtibus, apud peritos, & imperitos, Hispanos, auctorib. Iesuitis, Monarchiam meditari. Postremo ll. Imperii prohibitũ cum extraneo Principe fœdera pacis cõtrahere. Verũ iis & similib. nõ obstãtibus, cõcludendum videtur, vtiliter cũ Hispano fœdus cõtrahi, nõ tanquã cũ Hispano, qđ leges Imperii nõ patiũtur, sed Duce Burgundiæ: cũ antè sanctissimo fœdere Imperii cõprehendatur, vigore trãsactionis celebratæ, anno 1548. quæ tamẽ præcedit constitutionem de Relligione; & fœdus de quo loquimur, nõ extẽdatur extra regiones & cõstitutiones Imperii. Hisp. itaq; armis petitus extra imperiũ, à Turca, ab Anglis, Gallis, seipsum defenderet, nullo cõfœderatorũ fretus auxilio. Suspiciones enim, quarũ supra estmẽtio facta, hoc ipso fœdere remoueri, & fœdus cũ Põtifice factum, frangi certũ est. Simul .n. nõ con-

143 Fœdus rectè iungi cũ Hispano tãquam Duce Burgundię.

ſiſtunt:inter Pontificẽ & Hiſpanũ conſtitutũ Euangelicos delere; & rurſus Hiſpanũ fœdere ſancito, ſerio promittere, ſaluas fore Conſtitutiones Imperii, ratione publicæ pacis ac relligionis factas. Reſpectu itaque regionum in Imperio ſitarum, non earum quæ in aliis partibus mundi ſitæ ſunt, cum Hiſpano fœdus percuſſum valet; & hoc recepto, quis magnopere curaret Pontificis iram, ac aliorum potentiam & arma.

144 Ob quas cauſas non facilè recipiendus videatur Hiſp. confœderatus.

Cæterum, vnum eſt quod valde refragari videtur, quo minus hoc tempore inter confœderatos Imperii receptus dicatur: videlicet bellum BELGICVM, cui ſe implicare Principes Imperii noluerunt, neutralitati ſtudentes, cum agatur inter Hiſpanum & Ordines, ſubditos limitatos, vt ſalua, integra & illibata ſint Priuilegia data ac confirmata; gubernatio more antiquo inſtituatur; relligionis exercitium illis relinquatur. Sereniſſimus vero Rex Hiſpaniarum, Anno 1579. Carolo Archiduci Auſtriæ hoc dederit reſpõ-
ſum:

ſum: *Legato D. Maximiliani optim. pacifici Imperat. Catholica Regia Maieſtas in hoc fidei ac relligionis negocio nihil admiſit, nec admiſſura eſt vnquam vlla arbitria, pacta, conditiones alias, ſiue leges, ſeu quicquam aliud, præter id, quod S. Romana Eccleſia inſtituit, ſanciuit & ordinauit; ad cuius verum, vnicum & ſacroſanctum iudicium id pertinet, & cuius eſt decernere & conſtituere, quid tenendum, quid amplectendum, quid obſeruandum ſit.* Hactenus verba recenſui ex reſponſo Cathol. Maieſt. patrueli Maxim. II. dato.

145 Verba ex reſponſo Regis Hiſpan. extracta.

Verum hæc deliberatio non indiget noſtro patrocinio vel voto; inprimis cum iam Burgundia pleno iure ad ſereniſſ. Archiducem Auſtriæ fortiſſimum deuoluta dicatur; cum quo, volẽte Deo, facilius, melius, & commodius pacificatio inſtituetur. Quatenus vero Principibus Imperii liceat cum Gallo, Anglo, Scoto, Hiſpano, Sueco, contrahere fœdera, infra explicabimus, cum illi qui examinant fœdus Henrici Regis Galliæ II. cum Mauritio, ne quidem attigerint.

146 Pacificationem Archi-Ducis Alb. & Ordinum ſperandam.

147 Electores non debere militare Regibus.

Illud obiter quasi addo, Electorem Imperii, non decere more mercenarii militis vt se Regi alicui obliget; cum Electores æquiparentur Regibus & sint columnę Imperii & fulcra: imo Electores in collegio Electorali, ferre Consiliarios stipendio reguli fruentes noluisse scimus.

148 Fœdus cõmune cõtra Turcam pãgendum.

Doctrinam tamen supra positam, ita limitamus, vt non negemus interim contrahi debere fœdus inter Papam, Imperatorẽ & ordines Imperii, Hispanum, Gallum, Danum, Suecũ, Angliæ Reginam, Muscouię magnum Ducem, Polonum & Regem Persiæ contra Turcam: id enim consilium & prudentissimum & antiquissimum esse didicimus ex Guicciardino, & Leoni X. datã legimus: vt videlicet omnes Christiani Principes, vel compositis vel sepositis omnibus controuersiis, simultatibus manus iungerẽt, pro professione nominis Christiani, & defensione salutis communis: etsi non ignorem alios ea de re aliter sentire; tamen ego existimo tali pacto facilè Turcarum vires & poten-

potentiã breui tempore frãgi, & honoraria & tributa, quę à variis ſingulis ſunt ſoluenda, denegari poſſe. quę refert *Lazarus Soranzius in Ottomanno lib.1.pag.62. in Italico exempl.* Verum cum nullus ferè amplius credat, Deum velle vt imperium Romanum ſtabile ſit vſq; ad extremum iudicii diem; interitum & vaſtationem cõſiliis & actionibus accelerãt: & vt mortuus Romulus dicitur Proculo cuidam dixiſſe, *Abi, nuncia Romanis, cæleſtem ita velle, vt mea Roma caput orbis terrarum ſit:* ita hodie reperiũtur, clamantes euerſionem fati quadam neceſſitate Germaniæ impendere, & neminem eſſe qui velit ſuccurrere lapſis, vel etiam propria defendere: cum itaq; multum referat in quæ quis tẽpora inciderit; alii pro arbitrio agunt, diſponunt ac aliorum ditionem inuadũt, vexant: velim in animos principum deſcendere hæc monita.

Fœdus quoq; cum iis non facile ineundum, qui temeritate potius quam fortitudine pugnãt: Ducem enim cautum eſſe debere, magiſtri militiæ tradi-

derunt, *Plutarchus in Pelopida, in principio:* non enim pro vno censendus est, qui secum multorum hominum interitum trahit. Temerariis namq; locū inter fortes nō concedimus, cum maiore ferantur impetu, quā ratione, & ad feritatem delabantur, & immanitatē, qua nemo fortis censendus. Exempla verę fortitudinis, & virorū fortiū recenset elegāter & eruditè *Iouianus Pontanus lib. 1. de fort. pag. 71. & 72.*

149 Cum ferocibus & temerariis fœdus non contrahendum.

Temerarii confœderati & illi ne iudicādi, qui se singulari certamini nomine omniū confœderatorū cōmittunt? Fecit hoc Franciscus proprio nomine, Rex Gallię, multarum rerū cognitione præstantissimus, *Sleid. lib. 19.* Cæsarē Carolū V. prouocās, qui & locū designauit, *Sleid. lib. 6. Cōment.* Forsan nō iniustè, cū cōstet duellū, alioquin iure diuino prohibitū, *Iacob. de Castello de Duello, in princ. num. 10. cū seqq.* tali casu cōcessum laudabile & gloriosum esse, *Hotto. de. feud. cap. vlt.* imo pro patria meritoriū, *Vasq. c. 12. & 49. illust. q. 5. p. 126.* vbi etiā asserit Scaramizas vel velitates iure in bello concessas.

150 Duello se committēs num temerarius.

cessas. *Sam. c. 17.* Cuius rei multa adfert exempla *Gẽtilis lib. 3. De iure bell. c. 15. & Bodin. De repub. lib. 4. c. vlt. mihi pag. 475.* Metellus renuit. Plutarchus in Sertorio, cũ gregarii militis mortẽ nõ deceat oppetere imperatorẽ, vt Theophrastus dicebat: Renuit etiã Augustus ꝓuocatus ab Antonio, *Plutarch. in Anton.* Imo manu pugnare non debet Imperator, nisi necessitas vrgeat, *Castell. lib. 2. De off. Regis cap. 75. Alc. De singul. certam. cap. 27. & lib. 8. consil. 40.* Duellũ recusat subire Selimus cũ Ancomathe fratre, prętẽdẽs exercit⁹ dissensum, *Tom. 1. part. 5. cap. 27. histor. Tur.* Temeritas, vt propius ad tẽpora nostra accedamus, repræhenditur in magno duce Carolo Burgundiæ, alioquin magnanimo, vt & consiliũ præcipitatum, *Barland. in vita Caroli, pag. 382.* Eodẽ nomine notatur Albertus Marchio Brandenb. quis & quantus alioquin is princeps fuisset? Omnia audentem contemnet Annibal, nil temerè agentem metuet. & recte Phocylides: θυμὸς ὑπερχόμενος μανίην ὀλοόφρονα τεύχει: *audacia nimia furorẽ parit perniciosum.* Quamuis & ipse à moderata audacia com-

151 Gregarii militis mortẽ. imper. non debere oppetere.

152 Temeritas Caroli Burg. & Alberti M. Brand.

152 mendetur: asserit enim Plutarchus in vita Annibalis, omnia adfuisse Annibali, quæ magno Duci expetenda sunt: Consilio neque industria neque audacia deerat: Carolus sæpe vsus audacia absque consilio. Nosse & repetiisse debuissent incõsultam temeritatem, perdidisse Pelopidam ac Marcellum, *Plutarch. in Pelop.* tum Achillem: cum enim Aiax Achillem humi stratum exanguẽ atque seminecem videret; fuit, inquit, cõfirmatum ac verum, etiam per mortales nullum hominem existere potuisse, qui te vera virtute superaret: Sed vti palam est, tua te inconsulta temeritas perdidit, *Dictys Cretensis libr. 4. De bello Troian. pag. 102.*

Inconsulta temeritate periisse Achillem.

153 Nemo tamen Achillem fœderis socium alias propter virtutes repudiasset. Et hoc est quod supra monui, *Virtutem in confœderatis non requirendam infinitam:* Vnde in medio relinquo, an Alcibiadis imitatores ac filii socii sint assumẽdi fœderis: Is licèt superbus, inquietus & curiosus, & multa ex institutione Socratis correxerit, ac stulta spe impulsus bellum in Siciliam transtule-

Infinitam virtutem in confœderatis non requiri.

tulerit, patria bello domeſtico implicata, & inſuper incōſtans & chamæleonte mutabilior fuerit, modò ab Athenienſib. ad Spartanos abiens, & cōtra; tamen non videtur negligendus, cum induſtrius ac felix in præliando ſemper victoriam obtinuerit. Pronior ergo miles ſi eſſet, in recipiendo illo, vel filiis eſſem, cum iis artib. inſtructus fuerit, quas & veteres & noſtri in bellis ferè probant: teſte enim Plutarcho, Spartæ erat exercitationibus addictus, victus ſordidi & auſteri; in Ionia delicatus, luxui deditus, ocioſus; in Thracia ebrioſus aſſiduè equitans, Plutarcho in vita referente; ac in ſumma in rebus periculoſis repentino conſilio promtus. *Iouian: Pontanus lib. 4. De prudentia, cap. De cunctatione, pag. 200.* Et Alcibiadem virum ingenioſum, magnum & verſutum fuiſſe, etiam ex eo patet: Memoriȩ proditum eſt, cum canem emiſſet ingenti pecunia; precium enim fuiſſe ſcribūt coronatos ſeptingētos; huic curaſſe caudam præcidi, vt hæc deformitas ac mutilatio naturæ contraria, & eo tempore

154 Alcibiades.

insolita, in omniū oculos & sermones incurreret; qđ talē loquendi occasionē ciuib. dari vellet; interea in alia sua facta minus inquireret. Quæ omnia nobis exhibent ingenii malitiam, non dexteritatem, fallaciam, calliditatē, non prudentiam: Malè itaq; Plutarchus dexteritatem pro turpissima, ac fraude nobis obtulit: Qui enim versutos homines & callidos admirantur, malitiam sapientiā iudicant, *Iouianus Pontan. quod refert lib.4. De prudētia c. De versutia, p. 201.* Versatile tamē ingeniū, non improbamus, sed maximè laudamus: vnde illud Plaut. Vtere me pro rota figulari; refert *Pont. lib. 4 de prudent. pag. 201.* Verum omnia vitia magnitudine rerum gestarum occultauit Demosthenes in *Orat. amatoria.*

Temerarium socium fœderis non facile assumas, etiamsi temeritas multis benè cesserit, vt Alexandro, *Curtius lib. 9. & 10. Arrian. lib. 6.* qui fortunam in sua manu habuit: Quia temeraria facta, etiamsi felicem exitum sortiantur, non sunt laudanda, *Curt. lib. 10.* & plerunque ex festinatione oriuntur: &

licèt

licèt administrandis negociis celeritas & tarditas suo tempore sit adhibenda, *d.l.7.§.1.* & Annibal festinando multa præclara gesserit, intẽtus ad singula; tamen legimus Fabium cunctando illi conserendæ manus opportunitatẽ ademisse, iudicantẽ durando, ferendo, terendoq; tempus, frustrandos dolos eius atq; artes, Pontanus vt rectè de vtriusq; ingenio iudicat *lib.3 de prudent. tit. De cunctatione & celeritate, pag. 200.* Prudentior Scipio neque cunctator, neque præpoperus; tamen cunctatio melior. Ex Taciti enim sententia, *Cunctatorem natura quæras, vt cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placeant.* Augustus Cæsar arbitrabatur, nihil minus perfecto duci quam festinationem temeritatemq; cõuenire: & ducem belli vti debere iudicio, non fortuna, monet *Antonius de Gueuara in Epist. ad Don. de Valasco, pag. 17.*

Progredimur in enucleando argumento nostro, qui videlicet socii sint eligendi, quod tamen multum differt ab ea tractatione; *Cum quibus liceat* 155 Tractationis ratio.

fœdera contrahere: cum hiſce, de quibus diſſeruimus, licet fœdus iūgere, verùm non conduci; cum illis, etiamſi conducat, iure tamen non conceditur; quæ indicaſſe iuuat, ne quis cogitet me argumenta rerum confundere: explicatio enim eius articuli, cum quibus perſonis iure permiſſum ſit fœdera inire, infra quærenda erit.

156 Proprium commodū quærentes fugiendos.

Non ſunt ſòcii eligendi, nimiū proprium commodum amantes & quærentes. Non eſt tibi quiſquis ſibi neſcit eſſe amicus; Verum neque ſit, qui ſibi vult nimis ſe amicum. *Demoſth. in Oratione de pace*.

157 Timidi qui nam recipi endi.

Timidum prudentem non excludimus; inprimis in magnis periculoſisque rebus; in iis enim ſemper, magis aduerſus rerum exitus metuere, quā ſperare debemus ſecundos: Extremè tamen timidos, in libris ſacris, iure ciuili & hiſtoriis paſſim turpiter notatos, in fœdus non recipimus, *Ruland. in tract. De commiſſ. cap. 22. libr. 1. Iouian. Pont. lib. prior. De fortitud. pag. 60. cap. De timidis.*

CumSodomitis fœdus inire periculoſiſſi-

losissimum, ob detestãdum crimen naturæ contrarium: illum tamen ne dixeris Sodomitam, quem vanus rumor populi notat, sed quam facti euidentia monstrat. Si enim ea in re graui volueris vel famę vel incertis historicis fidem adhibere, captus es; & ille qui incusatus, victus sine testibus non auditus. Famæ & fabulis si standum, diceremus Carolum Magnum præstantissimum Imperatorem Sodomitam fuisse. Veritati si tantum inhærendum, negamus: Licèt enim Sacerdotes Leodienses fabulam scriptam de muliercula quadam ostenderint Petrarchæ, vt ipse scribit *lib.1. Epist. De reb. familiarib. Epist.3.* quam viuentem Carolus, non tantum perditè & afflictim amauerit, sed etiam cognouerit mortuam, balsamo & aromatibus condîtam, onustam gemmis, velatam purpura, & alii narrarint; tamen iis omnibus parum fidei tribuendum. Sẽsus repugnat naturalis; repugnat pietas Caroli; refragatur animus sincerus, autoritas; refragatur consensus historicorum, & rei narratio ostendit fictam

158 Cum Sodomitis fœdus inire periculosissimum.

159 Carolum Magnum non fuisse Sodomitã.

fabulam ad pietatem miraculoſam aliцuius Sacerdotis prætendentis, magica arte Carolum inductum, & poſtea miro modo ab hoc malo liberatum. Si itaque hanc famam rumor diuolgaſſet de Carolo; nec euidentiſſima veritatis documenta apparuiſſent; cur alii Reges cum tanto Imperatore contrahere recuſaſſent. Nam me non mouet, quod *Crancius libr.1.pag.42.in Saxon.* ferè idem; quamuis obſcure narret: nam nec probatum autorem adducit, nec ſcit quale crimen fuerit, & tamen tegere modeſtius exiſtimat. Non ignoro omnium hominum ingenium procliue eſſe à labore ad libidinem, & Carolum Magnum æquè ac alios Imperatores errare potuiſſe, verum non liquere opinor: maiori turpitudine Au-

160 Multos Impp. Sodomitas fuiſſe.

guſtum, Tiberium, Neronem, Vitellium, Titum Veſpaſianum, Traianum naturâ probum & clementem, etiam Platonem & Socratem deteſtando crimine, videlicet Sodomiæ notatos fuiſſe ex Suetonio, Dione, Plutarcho, Tacito, Xiphilino ſcimus; cum iſtis tamen impe-

imperatoribus alios fœdera ignorantiâ ductos, vel fidem narrationibus nō tribuentes contraxisse non negamus.

Quamobrem ne quis turpiter aberret in diiudicandis sociis & amicis, adhibeat necesse est proprium iudicium Princeps, regulis firmissimis & exemplis fortissimorum Heroū instructum, non sermonem ac famam (qua bella, non honorem stare dicebat *Curtius lib.* 161
3. & famam conficere bella scribebat *Liuius lib. 27.* eamque summam nunciare, non ordinem monebat *Plinius lib. 4. Epist. 11.* eamque in nouis cœptis validissimam esse *Tacitus lib. 13.* putabat, & plurimum in nouis consiliis valere, *libr. 15.* 162
existimabat; vt Locrorum legem, quâ afficiebant hominem mulcta, quærentem quid noui, tempore pacis non belli probandum dixeris rectè) imperitæ & cæcæ multitudinis affectibus & variis opinionibus corruptam, de quibus vacuos esse oportet, qui de rebus magnis consultant. Vbi enim affectus officiunt, haud facilè animus verum prouidet, *Salust. teste.*

Bella cōstare famâ, nō honorem.

In iudicandis mortalium morib. non nudam famam attendēdam.

163 Non aduLatorum iudicium.

Non ſequatur inquam Princeps in hoc examine conſilia infidelium Cōſiliariorum, precio & honore conductorum, qui conſilia principum habent venalia, quorū aliquot inter miniſtros fortiſſimi & cōſtantiſſimi Principis *Ioannis Friderici* Ducis Saxoniæ, & Electoris, inuentos volgo commemoratur, eosque optimum Principem prætextu pietatis & concionis inſtitutæ, hoſti quaſi exhibuiſſe, autor **der Froſchmeuſler**/*c.14.* belliſſime in Germanicis Rhythmis innuit. Et omni tēpore tales fuiſ-

164 Totum orbem repletum proditoribus.

ſe in Republ. hiſtoriæ omnium Monarchiarum teſtantur; & quidem in magno numero: in Græcia enim tot fuiſſe, vt vix numerari potuerint. *Demoſthen. in oration. De Corona*: imo totum orbem repletum proditoribus, dixit Ludouicus Sfortia, *Fulgoſ. libr. 9. cap. 6. Bemb. libr. 4.* Principes enim inſcii habent multos latrones in aula, *Cranc. lib. 12. Wandal. cap. 31. Cranc. lib. 9. Saxon. cap. 37. pagin. 256.* quem allegare video *Philip. Camerar. cap. 7. medit. hiſtor. & antè Camerar. Claud. Coterin. De iure & priuil. milit.*

lit. cap. 6. Proditorium & adulterinum opus, adulterina moneta compensauit Imperat. Philippi Austriaci proditoribus. Nescio quî fiat, inquit Lucianus, vt omnibus clandestinis sermonibus, capiamur, & auidè arripiamus, quæcunque suspicionum plena ab aliis insusurrantur. Proditiones itaque fugientes, fugiant hanc pestem, & magno studio veritatem inquirant. Etenim qui in publicarum administratione rerum versantur, intueri diligenter debent, & exactissimo iudicio prospicere, ne eos lateat animus eorum, cum quibus vel iunguntur fœdere, vel pace conciliantur, *Polyb. vt nos docet libr. 3.* Cum, vt M. Tullius ad Q. fratrem scribit, multis simulationum inuolucris tegatur, & quasi velis quibusdam obtendatur vniuscuiusque natura; frons, oculi, vultus persæpè mentiantur, oratio vero sæpissimè. *Cicero 3. De orat.* Vera quidem & honesta est oratio, verba mentis esse indicem, & frontem cordis: cum totus homo in capite vultuq; consistat, *Apul. Apol. 1.* ad quod mul-

165 **Animum eorum, cũ quibus iungimur fœdere, exactè inquirendum.**

tos citat *Caspar Taliacotius*, De curtorum Chirurgia, *li.1.c.2.* Plerunq;.n.verũillud:

Lucet ex aspectu pietas, intrinseca virtus:
Scribitur in vultu probitas, in imagine fulget.

Sed nihilominus principes diligenter scrutari debẽt, an animus frõti, verbaq; cordi respondeant, & vtriusque par sit affectus, cum Principis animum nemini cognitum esse debere insignis simulator Tiberius dixerit, *Dio lib.57.* Nec, vt dixi, fidem adhibeãt calumniatoribus, qui ex immutatione tẽporum crescunt, sed proprio iudicio fruantur, & ament circumspectam diiudicationem. Fit enim cotidiè, & factum ab initio historię testantur, vt optimos Principes omnis virtutis genere & pietatis radiis corruscantes, iniuria ac inuidia temporis, leuissimi homines, gratia & nummis conducti, tot & tantis coaceruatis nugis, mendaciis & criminibus, inprimis post mortem exagitarint, vt vehendis non sufficiat nauis; neque tantum impii ac leues, verum etiam rel-

166 Sępius optimos Principes & innocentes iniuria temporis cõtumeliosè exagitatos.

relligiosi, & opinione graues, & quidem facilius, cum multa vana ex obseruatione, *Taciti lib. 5. annal.* sub nomine celebri vulgentur. Hugo Capetus Saxones ex falsa suggestione adulatorum, & qui dissidia voluerunt, *effœminatos* vocabat, mendaciis aulicis deceptus. *Cranc. in Saxon. lib. 3. cap. 23.* vnde Saxones colos subtiliter ornatos cum fusis, iussu Ottonis gestarunt.

167 Sub nomine celebri, multa vana diuulgari.

168 Saxones à Capeto effœminatos vocatos.

Omissis aliis, nostro seculo repetamus, quã impudẽter ingratissimi & scelestissimi calumniatores, variis modis, seuerè prohibẽte illustrissim. Duce Sax. & Electoratus Administratore, mẽdaces homines, sceleratis nugis, chartis cõtumeliosis, famosis libellis editis, excellẽtissimũ Principẽ ac Dominũ, Dominũ *Christianũ* VII. virum, Saxon. Ducem, magnanimũ, decus illud Germaniæ, delitias nostræ ætatis, fide, industria, ingenii promptitudine, forma inprimis, pietate pręstantissimum, traduxerint, & iniuriosè affecerint, tormenta auditori ac falsæ rei graues autores admouentes, fraudem primum

169 Putida mẽdacia in mortuum Ducem Sax. Christianũ excogitata.

& mendacium, periurium & obtestationem testes prouocantes: quam maculam apud omnem posteritatem, nõ delebunt calumniatores, & extremi iudicii die rationem reddent inauditæ malitiæ. Nonne in optimi *Christiani Electoris*, vt in mortui Hectoris corpus Græcorum multitudo coniecit tela; sic leuitas & plebeiorum, & Sacerdotum in famam & existimationem vel reputationem, vti hodie loquimur, impetum fecerunt: Loquantur illi, qui innocentissimi Principi vsque ad extremum vitæ spiritum adfuerũt, certe loquentur honesta, præclara & memorabilia omnia: isti verò crassè mentientes, multo deteriores sunt iis, de quibus *Seneca libro 4. natur. cap. 3.* Historici, inquit, multa mentiti sunt ad arbitrium suum, &c. adiiciunt, penes autores fides erit: calumniatores verò prædicti nec autorem nec testem citant. Peregrinatus est in maxima dignitate, imo eminentissima aliquantisper, vt bonũ & maximo animo præditum virum decet, & versatus est tanquam

170 Improbos impetum fecisse in reputationẽ Ducis Christiani.

171 Quomodo ex hac vita decesserit Elector Sax. Christian⁹.

quam hoſpes in regionibus non exiguis, deceſſit de Electoratu ſine recuſatione, vel gaudente animo, imo alacri in confeſſione veritatis æternæ & aſſidua inuocatione filii Dei, adquieſcens in ſpe promiſſionum diuinarum, abiit hinc vltimę volũtatis libero ſtylo, & libero quod iterum nõ redit arbitrio relicto, non tam de relictis theſauris & regionibus, quam Eccleſia, ſcholis & de filiis ſollicitus: horum ſæpius, iſtorum nullam faciens mentionem: Bonus ac optimus Princeps, cũ Fabio imperium ſuum minui per vanitatem populi, quã ſecunda fama malè rem gerere voluit. Abominantur iuſti virum impium, & abominãtur impii eos, qui in recta ſunt via, *Sal. Prouerb. 29*. Lugebatur interim à paucis obitus, lugebatur nomen & fama præclariſſimi Electoris, lugebatur cæcitas & miſeria & exiſtimatio.

178 Calumniatores publico ſcripto refutandos, & Ducem Chriſtianũ vindicandũ à mẽdaciis.

Ne verò rerum ignari falſa pro veris accipiant, operæpretium eſt poſthac ſcripto publico, bonos de eo admonere, vt ſciant euidentiſſimis probationibus adductis, quantum fidei in-

ſulſis recitationibus quorundam cantilenis & narrationibus contumelioſis ſit tribuendum. Vitio multis multi dāt, quod magni principis mortem grauiter tulerint, atque eum quem dilexerunt, mortuum deplorent: perinde ac ſi iam vicerint: obitum eius Reipubl. fuiſſe vtilem, vt in ſimili C. Mutius ad Ciceronem de Iulio Cęſare ſcribit *lib.11.famil.*

179 Referendarii quomodo audiēdi.

Quamobrem cum pauci bonas artes in aulam adferant, vel allatas contemni videant, Princeps ipſe audiat, & audiendo det operam, vt non minus cognoſcat, cuiuſmodi, & qui ſint, qui de aliis quid retulerint, quam ii, de quibus ad principem relatum eſt, vt Iſocrates ſuadet. Oportet igitur vt princeps ipſe ſit ſapientia excellens: (nemo enim niſi ſapiens, poteſt perſpicere ſapientem inquit *Plinius libr.1. Epiſt.10.*) vel conſiliarii relationibus adhibiti viri optimi. Talis verò princeps ac conſiliarii, ne quenquam inauditum & indefenſum reiiciant, ne dicam condemnent: hoc enim eſt ſce-

180 Principes & conſiliarios inauditum cōdemnare nō debent.

ſceptro abuti,inprimis in cauſſa relligionis , licèt quis dicatur à maleuolis Hæreticus,& neſcio quis , inquit *Molineus De monarchia Francica, contra paruas datas,num.115.*

Cæterum quid dicam eadem malitioſa calumniandi licentia occupauit homines,alioquin minime malos ſcribendi dulcedine irretitos.

Si enim Heinrico Stephano ſtatim fidem adhibueris morum Germanicorum experti , nõ facilè ſolidam laudem tribues,nec exteri principes cum Germanis fœdus contrahent. Is enim Stephanus vir exiguo iudicio , facultate dicendi aliqua præditus , à Germanis Principib. beneficiorum acceptorum immemor,nugatur,Germanis ebrioſis cum Flandricis eſſe communia multa; atque illud inprimis,vt quot calices ſupra menſam,tot matulas ſub menſa habeant ſepoſitas. Certè inſignis calumnia, qua vnius forſan hominis Germanię,vt porci immodeſtia motus exiſtimationẽ nationis vniuerſę,notare ac veritatem hiſtorię Herodoti demõſtrare voluit,in *Apolog. Herod. præfixa.* Proh

151 Hominibus de ſcholis etiam non ſemper fidendum.

182 Nugę Heinrici Stephani.

dolor! Inficias ire vix licet, verè ſcripſiſſe *Poggium in lib. Epiſt. pag. 118.* Germanos eſſe vaſa vinaria, ad paſtum & ſomniũ nata; & olim bellicos, aut nationem pro armis, vino pugnare & crapulâ: eamq; tantum habere virium, quantum vini poſſunt capere; eoque deficiente animo, eam deficere. Verum hæc de volgo, non etiam viris magnis; etiam multo plura de Italis facinora dici poſſunt: Sed reliqua quis vnquam audiuit vel vidit inter homines alicuius dignitatis?

183 Bodini mẽdacia.

Sic Reges, Bodini mendaciis ſeducti, cum Germanis fœdus vix contrahent: cum is *lib. 5. De Repub. cap. vlt.* plus quam Gallicanæ, priuatâ licentiâ, ſummos principes ac lumina Germaniȩ, Electorem *Mauricium Saxon. Ducem, & Albertum Marchionem Brandenburgenſ.* Doctorem & Licentiatum perfidiæ, volgus appellaſſe refert, cum Gallo occupanti tot Imperii ciuitates, in omnibus amplius noluerint aſtipulari: qua iniuria magni iſti principes vt ſunt indigni; ita digniſſimus Bodinus plagis & virgis. Nam in eo principes Mauricium

Hassum & Marchionem, quod in perpetuo fœdere non manserāt non peccasse, confirmare conatur *Heigius q. 9.* Fœdus enim non violari putant, si ab eo discedatur per rationē iustam, *arg. l. 14.15.16. pro socio, Gentilis lib. 3. De iure belli, cap. 24.* Quamuis sint existimantes tales apices in fœderibus non quærēdos, nec à societate priuata ad publica fœdera licere argumentari, *Castr. in l. Qui seruum, de verb. oblig.* Prior tamen sententia videtur magnum habere fauorē, magnamq; rationem. Eandem Bodini impudentiam & imprudentiam attigit, sed non refutauit *Tilemannus in discurs. Philologico, pag. 114.*

Ex hisce paucis communi Politicorum calculo probatur, principem non tātum propriæ gubernationis formam optimam tenere, sed etiam tempore pacis & belli aliorum Principum ingenium & conditionem probè per probos explorare debere: fieri quod vix melius poterit, quam si princeps ad alios legatis mandarit, vt non solum negocium legationis principale laudabi- 184 Quo pacto principum ingenia inquirenda.

liter & fideliter expediant, sed insuper
185 Veneta lex & prudẽtia. principum ingenia, mores, affectus, doctrinam, virtutes, vitia, etiam potentiã, quoq; genere vitæ delectentur, inquirant: quod iam lege in Republ. Veneta constitutum probat *Sorantius in proœm: Ottomanni.*

186 Invitiis examinandis non summum rigorem exigendum. In hac verò inquisitione, & in vitiis examinandis nolumus adhiberi rigorem summum: Licèt enim Imperator Sigismundus cum mulieribus Argentinensibus per plateas saltauerit, vel choreas duxerit, nudis pedibus: *Iacobo à* Königshoffen *scribente in Chronicis*, & referente *Bernhardo Hertzogen in Chron: Alsatiæ, libr. 2. cap. 96.* quis tamen eo tempore non contraxisset fœdus cum Sigismundo? Vitabisne ob auaritiam Themistoclem? & alios quos Plutarchus notauit?

187 Aeris & soli ratione mutari corpora mortalium. Postquam etiam variis ex caussis, diuina constitutione, proiectione radiorum solarium ex solis operatione, & soli natura ac situ, mortalium corpora, Aristotele autore, mutentur, principes fœdus contrahentes etiam hanc considera-

ratio-

rationem omittere non debent: ingenium.n. ex ipsa corporis animęq; compage ac constitutione, & ex humorum temperatura constat, *Boterus di stato lib. 2. pag. 58. 59. 60.* latissimè & egregiè *Scip. Ammirat. ad Corn. Tac. lib. 4. Discurs. 7. pag. 151. Heresbach. De erudiend. prin. cap. 34. pag. 185.* Plus caloris Italia ac Dania mortalibus adfert; quorum vero in corde ac sanguine maior ac agilior calor inest, ii quoq; plurimum ingenio valent: torpescunt, quibus frigore sanguis concretus est: & hoc nō solum in ingeniis, verū etiā fructib. reperiri cōmunis habet Physicorum opinio. Virg. 1. Georg.

Diuisæ arboribus patriæ, sola India nigrum
Fert hebenū: solis est Thurea virga Sabæis.

De ingeniis M. Tullius putat, acutiora esse & ad intelligendum aptiora iis hominibus, qui terras eas incolunt, in quibus aër est purus & tenuis. 188 **Crassum & concretum cælum non producere ingenia sūbtilia.**

Sic in sermonem de via collectū, scimus abiisse: Insulares esse versutos: Anglos & Siculos plerumq; fallaces; Asiaticos, molles, & luxuriosos; Hispanos superbos: Gallos leues & magis irâ & impetu, 189 **Variarum gentium varia vitia.**

quam consilio & ratione negocia gerentes, *Polyb. lib. 2.* relligioni tamen deditos; ex *Liuio, Cæsare, Tacito, Ammirat. d. lib. 4. Discurs. 7. pag. 151.* probat; Italos cum Hispanis libidinosos; Græcos leues, & in mentiendo promtos; Africanos, astutos; Ligures; in armis duros; Lucanos fidem cum fortuna mutare; Romanos seruitutis impatientes; Genuenses peruersos; Florentinos, auaros, splendidos, magnificos; Germanos; ignorare quid sitis sit; Æthiopibus asscribunt capita exilia; cerebra modica, exsucca, flaccida, & propter siccitatem, æstum nimium & intensum, minuta, arida & contorta. Non tamen patior mihi persuaderi, aëris & frigoris tãtam esse vim, vt quotannis 27. die mensis Nouembr. homines moriantur, & 24. Aprilis die denuo reuiuiscant, quod de populis qui *Grunstiuzi* & *Serponowtzi* vocantur refert *Guagninus Rerum Polon. Tom. 2. pag. 207.* Facilius credimus, in Arranciis insulis hominum corpora non putrescere, ideoq; non humari, vt eo modo auos, atauos, tritauos liceat cognoscere, *Ortelius Tabula 10. De Hybernia.* Et

190
Gigantes vnde magnitudinem corporum habeant.

Et varietas admiranda, de qua diximus, neq; mira, neq; noua nobis videri debet, cum etiam ex filiis Dei & filiabus hominum; formoſis quidem, ſed impiis; procreati ſint Gigantes, & diuerſæ ſtaturæ mortales in precio ſint habiti, *Gen. cap. 6.* quos nos non angelos, vel defectores; ſed homines cum Auguſtino interpretamur, *lib. 3. De ciuit. Dei; cap. 4.* & terrigenas intelligimus cum *Danæo, De prima ætate mundi, pagina 311. 312. 313.* ignorantes tamen an magnitudo corporum ex ſyderum poſitu; vel ratione ſoli; vel denique ex maiore vi libidinis & æſtu profecta ſit.

191
Pleraſque familias ſingularia quædam habere.

Inſuper pleræque familiæ ſingulares formas corporum; virtutes & vitia quaſi familiaria habent. Legimus Appios ambitioſos; Valerios, populares; Brutos, conſtantes; Fabios, patriæ amatores; Scipiones, ambitioſos & bellicoſos; Claudios, ſuperbos; Lælios, hilares fuiſſe. Vetuſta familiarũ exempla nobis ſunt tantum in ore, cum præſentia tutò attingere nõ liceat. In ſumma, tantam

192
Procreationis vis.

192 Procreationis vis. vim esse volunt procreationis, vt quasi sanguini, membris, dentibus, crinibus inhæreant multa, vt etiam hæreditariis morborum & mortis generibus multi extinguuntur, *Leonicus lib. 1. cap. 54.* & casibus iisdem subiiciantur. Scimus enim

193 Ex vna eademq; familia iisdē casibus subiiti. eodem die *Ioannem Fridericum* Electorē, & filium *Ioannem Fridericum* Ducem Saxonię, quamuis diuersis annis, custodię traditum. Constat insuper *Mauricium & Christianum* Saxoniæ Duces & Electores eodem ætatis & gubernationis ferè anno vitam cum morte cōmutasse.

194 Proba electio in vitiis inquirendis instituēda. Opera itaque, quo ad vitia cognoscenda, danda est, vt proba electio instituatur & ad superstitionem vsque obseruetur; &, vt dixi, ac copiose demonstrat Plutarchus, cum vitia & virtu-

195 Genealogias familiarū inspiciēdas. tes maiorum à posteris quasi rursus exhibeantur, Principes Genealogias familiarum diligenter inquirere & pēsiculare debent, vtrum familia insignis virtutis dotibus vel vitiorum sordibus fuerit celebris.

Verum ad propositum oratio nostra reducatur: non carebit vniuer-

ſa iſta inquiſitio ſuo fructu: eo enim 196
pacto poterit diſcernere amicos idoneos ac fideles, virtuoſos, induſtrios, vigilantes, ſobrios, moderatos, potentes ab infirmis; imprudentes, à prudentib. improbos, à probis.

Inquiſitionis fructus.

Veris inuentis & idoneis, ſciat Cyri vocem eſſe auream, qua cohortatus eſt filium: Non eſt hoc aureum 197
ſceptrum fili, & ſucceſſor future, quod regnum ſeruat, ſed amici multi ſceptrum ſunt Regibus veriſſimum & tutiſſimum, *Xenophon libro 8. Cyropædias.* Plato idem confirmat, ad *Dionyſium pagina 669.* inquiens, non auri rariſſimi fulgor, in miſera vita mortalium, non adamas, non menſæ argenteæ, quæ apud homines in precio habentur, ita oculis corruſcant, neque lati fundi, aut pinguia culta tantum valent ad vitam, quantum mens bonorum virorum inter ſe conſentientium: & amicos eſſe verum, perpetuum, & locupletiſſimum ærarium, probat *Vincentius Caſtellanus, De of-*

Verum Regum ſceptrum & ærarium.

sic. Reg. lib. 1. cap. 62. hisce etiam maturè totisque viribus est succurrendum, *Liuius libr. 6. Decad. 1.* neque discedendum, etiamsi aliundè premantur confœderati: hęc enim constantia pertinet ad potentiæ famam conseruandam & socios in officio continendos, *Thucyd. libro 2.* Muniri itaque talium amicorum, inprimis prudentum & potentum confœderatione, imperium principis, quis nisi insanus & omnis imperii expers, & rerum ciuiliũ ignarus negabit?

198 Amicos & hostes è factis æstimãdos.

Perpetua vero est regula, amicos & hostes è factis ęstimãdos, *Demost.* quod docet in oratione aduersus Aristocratem, cũ verbis amicitiæ non confirmentur, *Demosth. in orat. De corona.* & in amicitia inprimis attendendũ quod monet *Demosth. in orat. aduers. Aristocrat.*

199 Amicitia quales esse debeat.

Non enim sanæ mentis homines esse puto, siue cum aliquem amicum esse putauerint, sic ei fidere, vt etiamsi cœperit esse iniurius facultate vltionis ipsi sese spolient; siue si quem pro inimico habeant, sic odisse, vt depositis odiis, in gratiam redire velit, prohibeant quo mi-

nus hæc facere liceat: Sed tantiſper, mea quidem ſententia, tum odiis, tum amicitiis eſt progrediendum, vt harum occaſionum neutra prætereatur. Polybio enim autore, nemo principi abſolutè eſt amicus vel inimicus.

200 Quis amicus eligendus.

Et regulariter verum manet, neminem ei amicum eſſe velle vel poſſe, à quo malum aliquod expectat. *Demoſthenes in exord. concionum 46.* quamobrem idem exiſtimabat periculoſiorem amicitiam Philippi Reipub. quam peculatum.

201 Rancorem animi eiiciendum à confœderatis.

Poſtremò cauendum quoque diligenter, vbi principes fœdera ſunt inituri, ſtatim initio, ſi quid rãcoris lateat in cordibus, moderatis expoſtulationibus eiiciatur, vt Muſculus euincit ex *textu cap. 21. Geneſ. in verbo, increpauit Abimelech.* Quomodo enim fœdus ſubſiſtet, ſi minutiſſima nubecula rancoris in corde hæret, vnius vel alterius partis, cum conſtet ex amicitia & beneuolẽtia mutua & ea vires, ac alimenta ſumat.

Si quæ itaque iniuriæ incidunt, eas

non volgi more, formulis reuocatorque & palinodia institutis, sed familiari declaratione præmissa, Principes viri abolere & sepelire, nec vetustas caussas & negocia vulnerata & interfecta, vt loquitur Imperator in *l. 2. C. Theodosiano, vnde vi*, & *Symmachus libr. 2. Epist. 30.* resuscitare debent, *Albericus Gentilis elegantissimè De iure belli, libro* 1. *cap. 22. pagina 168.* Pectore enim si non coniuncti sunt confœderati, amici esse nequeunt: in corde enim amicitiæ sedes, *Symmach. libr. 4. Epist. 42.* vt & relligionis, *Symmach. libr. 10. Epist. 25.* & in pectore amicus, non in atrio quæritur, *Senec. De benef. libr. 6. cap. 34.*

202 Iniuriæ principum quomodo sopiendæ.

203 Veteres lites non resuscitandas.

204 Sedes amicitiæ & relligionis in corde.

Cęterum si nulla improbis consiliariis proprium commodum spectantib. impedientibus reconciliatio obtineri potest, & subesse periculum in fœdere contrahendo coniicis, vel quicquam in confœderatis desideras, ac si absque dispendio subditorum tuorum & diminutione auctoritatis fieri poterit, manus abstinentes habebis, & hominum

impro-

improbitatem, non fœderis iniquitatem accuſabis, Iſocratis præceptum repetens: Optimum & firmiſſimum fœdus RECTE FACERE: talibus enim Deum confœderatum eſſe. Non enim defuturi ſunt, inquit Iſocrates, quorum ſubſidiis delinquentes, boni viri coerceant, ſed habebunt multos, qui ſtrenuam operam illis nauabunt: quæ enim, inquit, vrbs, imo quis mortalium noſtram amicitiam & ſocietatem, non ducit expetendam, cum viderint eoſdem vtraque re, & inſigni iuſtitia, & maxima potentia præditos eſſe. Deum enim fauere iuſtitiæ, dicebat Alphonſus prudentiſſimus Rex, Ferdinando filio naturali, contra Florentinos ablegato: ac non mediocre momentum in rebus bellicis adferre credimus, inquit *Libauius in Decl.* Diuinum fauorē hunc non iis adeſſe videmus, qui plus audēt, ſed qui cauſſa ſunt meliore. Et Xenophon in Ageſilao inquit: Vbi Deum colūt homines, arma tractant, diſciplinam meditantur & exercent; quomodo probabile non eſt, omnia plena eſſe

205 Optimum & firmiſſimum fœdus rectè facere.

206 Deum fauere iuſtitiæ.

bonæ ſpei: Validiſſima enim arma eſſe, gemitus & lamentationes, notauit Chryſoſtomus, & læſos bene armatos nos natura docuit. Ego inſuper, inquit Iſocrates, in nullis ſociis plus eſſe præſidii & cõſtantiæ puto, quã in iuſtis actionibus: Cõſentaneum enim eſt etiam Deorum immortalium beneuolẽtiam non defuturam. *Iſocr. in 8. Orat. in Archidam.*

207 Vicinus inter potentes quem debeat ſequi.

Quid vero faciendũ ſit, ſi duo potentes inter ſe diſſenſerint, non immeritò dubitatur, quẽ amicum debeat eligere VICINVS, vel intermedius, cũ iſti belligerãtes nec vinci, nec vincere ſine tertii periculo poſſint: Habebis enim etiã durãte bello, eoq; ad finem deducto, aut ſociũ aut hoſtem: Hic conſilium & præcepta in anxietate conſtituto, dare difficile & periculoſum eſt. Dandi conſilii prouincia difficilis, cum conſilii & fortunæ magnum ſit certamen, donec euentus arbitrium interpoſuerit. Nam vt *Cicer. ait libr. 2. Epiſt.* quas volgo *familiares*, vocant, *Epiſt. 17.* Magna vis eſt in Republ. temporum; magna varietas re-

208 Fortunæ & conſilii magnum certamen.

tas rerum, incerti exitus, flexibiles hominum volũtates, multum insidiarum, multum vanitatis in vita: tecum itaque loquere, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtẽpera, alteri qui melius consilium dare possit quam tu, non facile inueniri potest; tibi verò ipsi certè nemo melius dabit. Adhibeat in cõsilium parentes, fratres, agnatos, principes & confœderatos & fratres conuentionales, tum subditos, nobiles & ciues, consiliarios, inprimis senes, qui solẽt in hoc articulo pedẽ fortius figere, vt bos lassus, etiam vicinos ordines, vigore executionis, vel executiuę ordinationis aut Constitutionis factæ 1555. 1559. 1564. 1566. 1570. & seqq. Comitiis auctę; quę, etsi exiguum effectum habere multis videatur, semel tantum feliciter & realiter in Gothana expeditione practicata; & imperfecta sit, vt patet ex Recessu Spirensi 1570. §. Weiters als auch/ & ex variis correctionibus & experiẽtia ipsa, minimè tamẽ est negligenda: vbi enim honesta, vtilis ac necessaria defensio militat, ibi ne socium deseras iura omnia

209 Tempore illati belli quinam in consilium vocandi.

210 Constitutiones executionis in Imperio etiam imperfectas non negligendas.

ſuadet; quem ſi deſerere mauis, caue ne turpiter ſuccumbas, acquidem tuo merito, cõſcientia victrice. In his itaq; fundamentum defenſionis ponant Germani. Vnũ eſt in iis conſtitutionib. prudenter & ſalubriter ſancitum, quod etiam paucorum vota plurium ſententiis
211 Parentis cõſilium. non poſſint vim inferre : ſed maiora præualeant. Sequatur ante omnes, ſi in viuis eſt, patris conſilium : certum enim eſt nullum affectum inueniri extraneum, qui vincat paternum, *l. cum furioſus, C. De curat. fur.* & dicit *Pomponius in l. ſcripto, vnde liberi*, naturæ ductu in liberos protendi paternum votum : & Iuriſconſultus ait in *l. nam etſi, ff. De inoffic. teſtamento.* paternam caritatem eſſe naturalem, & omnia ex voto parentum parari liberis, *l. penul. De bon. liber. l. cum ratio, De bon. dam.* cum liberi ſint paterni corporis portio, *l. cum ſcimus, C. de agric. & cenſ. lib. 11.* Vnde mirum non eſt inſtinctu naturæ parentes ſupplicio & aduerſitatibus liberorum moueri, *§. vlt. Inſt. De noxal. Inſt. l. iſti 8. Quod metus cauſſa. M. Tullius ad Brutum in Epiſt.*

de Le-

de Lepid. liberis: Plutarch. De sera numinis vind. Farnesius De simulacro Reipubl. lib. 4. cap.2.pag.35. Omniũ auditis & pensiculatis sentẽtiis, ipse statuat, quid sit agendũ.

Et quamuis neutralitas vix aboleri & difficulter remoueri possit, cum pluribus sit vtilis, *Æneas Syluius lib.1. Epist. 65. pag.549.* tamen prudens princeps, quantum fieri potest, eam fugere debet: mediam enim in huiusmodi rebus qui monstrat viam, nullam certè mõstrat, in quam pedem figere liceat. Qui enim vult quiescere & abstinere armis, euentum expectans, stultorum magistrum, Liuio dictum *libr.2. Decad.3.* cum consiliis ac consiliariis peribit. Aristænus prætor Acheorũ, cum Romani primum eorum amicitiam expeterent, & Philippus, saltem ne armis interessent, postularet, oratione ad suos habita, ostẽdit; Romanos aut socios habẽdos, aut hostes; mediã viam nullã esse, *Liu.lib.32. vel Decad.4. lib.1.pag.548.549.550.* quid aliud quam nusquam gratia stabili, vel ut qui euentum expectauerimus, vt fortunæ nostra applicaremus cõsilia, præ-

212 Neutralitatem fugiendam.

213 Mediam viã nullam.

da victoris erimus? *Ayala lib. 1. de iur. & off. bell. c. 2. num. 19.* Nunquam enim bonum fuit ἀπὸ δυοῖν ὁρμεῖν, duabus anchoris niti, & tutissimus qui minimũ gratificatur hostibus, *Thucyd. lib. 1.* & rectè ibi Winsemius: Longe melius est niti anchora sacra, spe & fiducia auxilii diuini.

214 Nunquam bonũ fuisse duabus niti anchoris.

Qui media in domo habitant, ab inferioribus inhabitãtibus fumo necantur, à superioribus perminguntur. Medii ciues, inquit *Thucyd. lib. 3.* optimus sane scriptor, licèt fallax accusetur; Iosephus contra *Appianum lib. 1.* ab vtraque factione perdebãtur, partim quod non tulissent opem alterũtris, partim inuidia, quod hactenus fuissent incolumes.

215 In media parte dom' inhabitantes infelicissimos.

Ea tamen quæ de neutralitate adduximus, non simpliciter intelligi volumus, sed cum distinctionibus à Botero traditis: in *Discurs. della neutralitá.* quibus & hanc ex *Liuio lib. 34.* quam refert *Lipsius libr. 4. Polit. cap. 9.* Scito testudinem, vbi collecta in suum est tegmen, tutam ad omnes ictus esse, vbi exerit partes aliquas, quodcunque nudauit, obnoxium

216 Superioris doctrinæ limitationes.

um atque infirmum habere; & aliam ex *Thucydid.adiicimus lib.5.* Qui paribus nõ cedunt, & erga ſuperiores honeſtè ſe gerunt, erga inferiores verò moderate, ſi plerunque habent felices rerum ſucceſſus; aſtu igitur agant & conſiliis. Iunge itaq; te cum meliore, &, ſi licet, parte potentiore, vel cum eo, qui Deum ſocium habet; viriliter potius pugnes, quam turpiter percas: medium hac in re, vti dixi, tenere, nõ eſt tutum vel beatum, ſed periculoſiſſimum, & miſerrimum; inprimis ſi alterius periculũ, ruina & interitus tibi communis ſit, *Thucyd.lib.1.Xenoph. lib.1. De Cyripæd.* Sic Aſſyrii Aſiam armabant contra Medos. Nam eleganter inquit *Thucyd.lib.6.* eſſe vtrique ſocium, & neutrum velle iuuare, non reipſa æquale eſt, ſicut prætextu iuris videtur: Eſtque indignum & abſurdum, ſi abſq; cauſa vicini quieſcũt, ſuſpectum habẽtes prætextum ſpecioſi iuris. Sequitur enim ex tali tergiuerſatione, quod monet Hermocrates, perſtringens Athenienſes: Conſiderate ergo & eligite iam aut ſeruitutẽ, quæ

in præſentia eſt ſine periculo, aut vt nobis cum vincendo effugiatis ſeruitutem, nec illos dominos turpiter accipiatis, & vt inimicitiam noſtram, quæ non erit breuis, effugere poſſitis: cum vero hæc materia difficilis ſit, teſte Botero, periculoſum eſt quicquā certi de-

217 finire. Ex his iam alia pullulat quæſtio, videlicet, cum iā per lōgiſſimum tēpus, bellum inter potentiſſimum Regē *Hiſpaniæ* & Ordines Belg. ſit geſtū, & vtraq; pars ſæpius excurrendo, occuparit Cliuenſis, Colonienſis, Monaſteriēſis regiones, imo decurſionib. p equites & pedites, ea loca incurrerit, vaſtarit, abducēdo cultores agrorū, interficiēdo homines, Comites, nobiles, ciues, ſtuprādo virgines, nō abſtinēdo à pecuniis locupletum, vt magis ad vaſtandū in ſolo Romani Imperii, quā ad vincēdum parata videatur. Quā.n. illi ciuitatem non oppugnarunt? quos è ſociis non iniuria læſerunt? nonne prorſus loca quędā ademerunt? nonne Imperii agrū populati ſunt? nōne ciuitates in vicos redigerūt? nonne pagos ſolo æquarunt? quid vi-

Quæſtio ex neceſſitate orta, quo modo Regi Hiſp. & Belgicis ordinibus turbantibus German. occurrendum ſit.

de-

delicet vicinis ſit faciendũ;etiãſi Cliuẽſis, Monaſterienſis, Colonienſis, Padelbornenſis, quod indignum, abſurdũ & ſuſpectum eſſet, vellẽt quieſcere & perdere ſocios, tacita pactione cũ hoſtibus facta. Fatemur quęſtionẽ difficilẽ & periculoſam: attamẽ ſtatuimus, remotiores vicinos ꝓximiores grauiter admonere debere, vt reſiſtãt, vigore Cõſtitutionis de executione factę, vt ſecuritati & paci cõſulant, nõ vt quenquã in ſeruitutem redigant, vel in ſuo iure impediãt, ſed potius eos, qui libertati inſidiantur & nobis formidabiles ſunt, repellant. De illorum ne dubitemus alacritate & promtitudine, facit, quod iuſtum ſit quemq; ſuæ ſaluti conſulere & ſeruare leges Imperii; ſin minus, nihilominus fines & libertas imperii defendẽda. Nec iſte hoſtis Germanis tã Hiſpanorũ quã Ordinũ, debet eſſe formidabilis coniunctis, licet religione diſiunctis: ſed tunc erit periculum ſi diſtrahãtur: quod multi neſcio, an ſatis prudenter moliuntur. Et ſæpe ſuadent publicæ neceſſitates impoſſibilia: teſte Li-

uio, externus timor maximum cōcordiæ vinculum creditisne tandem Ger-
218 mani? Sed cauto opus est, ne asperitas negotii effectu irrito, solus Princeps aliquis accersat offensas, quæ nulli magis euitandæ sunt, quam iuueni Principi, cuius gratia cum ætate debet adolescere, *Symmachus lib.10.27. Epist.*

Non solus suscipiat q*d* omnib. est commune.

Coniungant itaque se principes Imperatori, cuius & imperii interest tandem pax in istis regionibus restituatur,
219 vel saltem ne ordines Imperii amplius premantur, vel bellum gerant in iis locis, in quibus cœptum est. Quod si non fecerint, interim tamen prætendentes necessariam animaduersionem in puniēdis rebellibus, hi vero defensionem legitimam; nō suspiciones, sed euidentissima rerum argumenta mouēt Principes; vt credere cogantur, partes militantes aliud meditari: habet vtriusq; partis excusatio, speciem honestæ rati-
220 onis; sed quo minus Principes credant, facit natura belli ac militum, facit gentis Hispanicæ vsu confirmata & virtute bellica ambitio, & cupiditas, & longo tem-

Partes militantes locū belli mutātes, aliud meditari.

Scopus partium.

go tẽpore expetita in German. iræ implacabilis exercẽdę ac imperii obtinẽdi occaſio ac induſtria; & qui nõ ignorant quę cõſilia iãdudum fabricata ſint, iis facilè eſt animaduertere quã optata illis inprimis obtigerit hęc militię oportunitas, & quô tendant iſti conatus; vt videlicet impoſito iugo Belgicis, & Weſtphalicis regionibus, & libertate ex cõtractu & priuilegiis debita erepta, in dominationis poteſtatem redigant vniuerſos, & tam Eccleſiaſticos quam Laicos Principes, tenentes Rhenum & Viſurgim, occupatis munitisque præſidio firmatis præcipuis locis, quaſi regnum inſtituant, & more Romanorum, quorum artem militarem exacte norunt, belli certam ſedem, atque arcem cõſtituant, vndè progredientes, corroboratis viribus regna & finitimas terras; Germanorũ potiſſimum, oppugnare, potentiã omnẽ debilitare & Imperii maieſtatem ſibi applicare, & Domini & Monarchę euadere poſſint. Rex ipſe, ex Germanico ſanguine ortus, hæc non probabit, certè conſilia, quin

221 Mos Hiſpanicę gentis.

probet gẽs ipſa, quis prudentũ dubitat; incitata ſtimulis aliorum?

222 Alta mens & induſtria Hiſp. gẽtis. Hæc verbis iis, quibus aliquando Maximiliano II. Imper. optim. fideliter propoſita ſunt, exprimere volui, rebus ex conſiliorum Hiſpan. ſerie deſumptis; & quis non laudaret in eo Hiſpanicæ gentis, natæ inſtaurandis reparandisque bellis, Liuio autore, induſtriam & altam mentem? Quis vero non improbaret in vtranque aurem ſecurè dormientes, ſuaues ſpectatores finitimarum calamitatum otioſos; imo his quæ in oculos imprudentum, & mentem prudentum, currunt incredulos. Nemo eſt qui hiſcere audeat, vel mutire; inquit autor *Commonefactionis De Reipubl. Chriſt. ſtatu, ad Reges, Principes & ord. Imperii.* Quid vero Ordines etiam meditentur, non eſt in obſcuro.

223 Subditorũ conſilium in fœderib⁹ cõtrahendis quandoque adhibendũ. Quod vero dixi, ſubditorum conſilium in fœderibus cõtrahendis admittendum, non ſemper conſultum eſſe conceſſerim; vt tamen fiat, regulariter ſuadeo, cum nullum firmius ſit præſidi-

ſidium Principibus ſubditorum beneuolentiâ. *Liuius libr. 8. Plutarch. in Demet. Herodian. libr. 1. Seneca lib. priori de Clement.* qua Principem ſeptum eſſe oportet. *Cicer. Philipp. 2.* Et plerunque inita improbent, conſenſu ipſorum excluſo, & Principes pacta ac fœdera non poſſint inire, in præiudicium vaſallorum ſubditorum, *Dd. in c. 1. §. præterea, de prohib. feud. alien. per Frider. Schraderus De feud. part. 10. sect. 7. numero 30. pagina 233.* & per confœderationē nemo efficitur vaſallus alterius, *arg. l. 8. De his qui ſunt ſui vel alien. iuris.* Quēadmodum ſubditos alienare, & alterius imperio ſubiicere nequeunt, *Dd. & Iaſon in l. debitorum 25. C. de pact. Vaſquius libro primo controu. c. 5. Afflict. Deciſ. 265. numero 31. Boſſius tract. de princ. numero 291. Brun. conſil. 196. num. 1. volum. 1. Borchold de feud. c. 5. num. 41. Hottom. illuſt. quæſt. 1.*

Eſt itaque & manet ſententia omnium, de rebus verè & ſolidè iudicantium, *Fœdera cum vicinis potentibus coniungenda*, veriſſima, ob rerum huma-

narum confusiones, & quod in mundo omnia sursum deorsumque, & cælum terræ misceantur, ac propter Erynnes funestissimas, quæ tristem minantur Romanæ Reipubl. interitum, ob con-

224 Fœdera in quem finē incunda.

silia varia, calida, callida ad Furias reprimendas improborum hominum, ad alastoras delendos, ad profligandam subditorum rebellionem, & barbariem exterorum, bella inferentium, extirpandam, ad religionem defendēdam.

225 Cura Heroica.

Talis cura est heroica & conducit posteritati, si quæ erit, & conseruationem nominis ac familiarum pollicetur; quæ naturalis affectio, generis conseruationem respiciens, est laudabilis & sæpius in Iure celebratur, *l.pater.38. §.1.2.3.de legat.3. l.libertis, 108. de condit.& demonstr. l.omnia 32. in fi.l.69. §.vlt. l.cum pater. 77. §. cum inter, de leg.2.l. filius 114. §.cum pater, de leg.1.gloss.in l. ex facto.17.§.si quis, ad Trebellian. Tyraq. de nobilitat.cap.25.& 37.num.23.*

226 An cū multis fœdera incunda.

Restat vt videamus, an vtile sit cum multis contrahere fœdus, & sane potentia

tentia aptissimè ex multis colligitur sociis; nisi confusio potentiam multorum frangeret. Verissimum enim, quod *Sansouinus, concett. polit. 696.* ait: *Quando sono multi potentati confœderati conuenendo, multi capi esser d' vn parer medesimo:* Sed de ea quæstione infra latius.

Cura tamen, cuius mentionem fecimus, sit posita necesse est in bonis fœderibus, vtputa contra Turcam & externum hostem, non ad malum tendentibus; talia namque nec iuramento stabilita valent, *Bald. in l. si ad excludendam, C. de reb. cred. Bald. in rub. C. pro socio, Iacobinus de S. Georg. in tract. de feud. in verbo, de adhærentibus, num. 10. pagina 316. adducens l. si à reo, 70. §. fin. de fideiuss.* ibi inquit Iurisconsultus, Quod flagitiosæ rei societas coita nullam vim habeat; & rerum inhonestarum nulla sit societas, *l. 57. l. 35. §. 2. de contrahend. emtion. l. 1. §. 14. de tut. & rat. distrah.* Improborum societates exiguum tempus dissoluit; bonorum amicitias nulla longinquitas dirimit,

227 Bona fœdera tantum concessa.

228 Flagitiosæ rei nullam societatem esse.

Isocrates ad Demenicũ. Et in iniusto bello alter alterum iuuare non teneatur, *Iason in l. quidam cum filium. de Verborum significat.*

In multis ergo Sigefridus, quisquis ille sit, & cuiâs, qui tamen prudentior cæteris videri voluit, ad quos hæc disputatio pertinebat, desipuit, in cuius nugis tempus non consumemus.

Cæterum bene notandum est, Principibus Germaniæ iura maiestatis, ex Dd. sententia habentibus, *Zasius libr. 2. consil. 1. Romuleus in l. re coniuncti, num. 245. de leg. 3.* non aliter concessum fœdera contrahere, nisi publicæ pacis cõseruandæ gratia: ita statutum est in aurea Bulla, *Anno Christi 1356. facta, in tit.* **Von zusammen verbündnuß.**

229 Fœdera cõcessa in Imperio pro cõseruatione pacis publicæ facta.

Ex *d. t.* verbis manifeste euincitur fœdera fundata in conseruatione pacis publicæ non prohibita, cum hactenus hoc non sit immutatum; imo multis & variis præiudiciis, etiam fœdere nouissimo Landtspergensi confirmatum, cur stare prohibeatur, *l. præcipimus, C. de appellat.* approbat *Mynſ.*

Cent.

Cent. 6. obseruat. 2. Princeps enim accurate tueri debet constitutiones Imperiales, & seueriter coercere omnes cuiuscunque ordinis, status, aut conditionis sint pacem violantes; aliam vero formam huic rei vt nec imperio dare possunt, *Aristotel. 4. de Republ. Polybius libro 6.* ne agere contra supremi magistratus & Imperii iura censeantur, *l. 12. Cod. De officio. rectoris prouin.* Congregationes quæ fiunt in finem bonum, vt non improbantur, ita nec iure aliquo puniuntur, *Baldus consilio 119. Schraderus De feudis, part. 10. sect. 10. n. 26.* & huic sententiæ subscribit autor *Speculi Saxonici libr. 2. art. 1.* his verbis: Illustres & spectabiles personæ, vbi per iusiurandũ se confœderauerint, vel inuicem conspirauerint, nisi Imperatorem tanquam parentem generis humani, *Symmachus libro 20. Epist. 36.* & in dubiis, ac hisce consulendum, *libro primo Epist. 33. & 52.* & animatam legem in terris, *Nouell. 150.* quo nihil maius, nihil sanctius, *l. 12. Cod. De ll. Plu-*

230 Princeps debet tueri cõstitutiones Imperiales.

231 Congregationes quæ concessæ.

tarch. De ciuil. inst. Isocrat. de Panathenaico, excipiant, contra eius delinquunt maiestatem. Ex quo textu colligitur primò, fœdera Principibus concessa.
232 Imper. tanquam vicarium Dei in terris excipiendum.
Secundò, in omni fœdere Imperatorem excipiendum. *Glossator in verbo*, Schweren/*num.3*: Distinguendum num dolo malo omiserint Imperium, vel Imperatorem, vel tantum negligentia omittẽtes punit in hundert pfund goldes. Et sententia, qua asserimus fœdera licita, non aduersatur *l. denunciamus, C. de his qui ad Eccles. confug. l. 1. & 2. C. de sedit. l. conuenticula, C. de Episcop. & cler. tot. tit. de colleg. illic.* Hæc enim Iura cum similibus loquuntur de conspirationibus illicitis, quæ ipso iure
233 Illicitas cõspirationes non confirmari iureiurando.
sunt nullæ, neque, vt dixi, iuramento confirmantur; sed tanquam improbæ & illicitæ puniuntur, *Bald. in l. 1. de sentent. & re iudic. Dd. in capite primo, §. conuenticula, De pace iur. firm. Felinus in c. fin. num. 2. de test. Iason consil. 86. nu. 1. lib. 3.*

Quando vero illicitæ præsumantur, vide *Anchar. in c. constitutionem. de V.S. Zabarell. in c. pastoralis, numero 2. de sent. & re*

& re iud. Panor. in c. fin. num. 1. & 16. de test. Schraderum part. 10. sect. 10. num. 27. Cum itaque conspiratio & coniuratio mala, lõgè distet à legitimo fœdere, cum fœdere non est confundenda.

234 Conspiratio quæ dicatur.

Conspiratio enim dicitur multorũ conuentio, quę fit ad euersionem status vel dignitatis alterius, *Gloss. in c. per tuas, de Simon. Anch. Iohan. de Turre Cremat. Bellamera in c. coniurationum, 11. q1. Hieronym. Gigas De Cæs. maiest. q. 22.* Vnde licèt sit concordia inter mille latrones & piratas, & quidem talis, qualis vix inter fratres reperitur, tamen verum & licitum fœdus vel concordia dici nequit, *D. della Nou. discurs. 2. pag. 72.* Illud enim perpetuum fere est: Faciliorem esse inter malos consensum ad bellum, quam in pace ad concordiam. In dubio fœdera ratione magistratus supremi præsumũtur illicita, admonente *Myns. d. loco:* ratione vero exterorum legitima cẽsentur. Insuper cum ex Aurea Bulla & Cõstitutionibus Imperii cõcessum sit, certo modo inire fœdera, illumq; modum Principes Imperii si seruauerint, con-

spirationis accusari non debent, qui aliter leges peruertunt & seditiosi communi voto declarati, merito coërcentur. Vtque eò validius & efficacius contrahant, operam dabunt exemplo eorum qui fœderis Landbergensis primi fuerunt authores, vt semper confœderatum ipsum Imperatorem habeāt, vel expresse excipiant, cum semper tacitè, tanquam Vicarius DEI in terris summa potestas, pater patriæ excipiatur, & cōtra ipsum fœdus institutū sit inualidum, *Dd. in l. vlt. de colleg. illicit. Mynf. d. obseruat. Angelus in l. 7. Quod cuiusq; vniuers. nomine.* Iuramento enim quod solent præstare principes feudum & Regalia petentes, cautum est:

235 Imperatorē in fœderib. excipiēdum ipso iure exceptum.

236 Clausula iuramento C. M. præstito, inserta.

Daß die Fürsten niñermehr wissentlich in dem Rath seyn sollen / noch wollen / da ichts wider Kay. May. person / ehr / würden vnd stand gehandelt oder fürgenommen wirdt / noch darin willigen oder gehellen / &c. & licèt Imperator cōfirmasset fœdus, quo ipse non comprehenderetur, tamen nihilominus exceptus videretur; in omni enim generali

ora-

oratione persona loquentis excipitur, *l. inquisitio, C. de solution. l. Qui insulam, in fin. locati, c. petitio, De iureiurando.* Errare itaque videtur Bodinus tantum maiestatem Imperii excipiendam, nō etiam Imperatorem, *lib. 1. De Repub. cap. 7.* cum ipsi Imperatori non liceat absq; cōsensu Electorum cum exteris fœdera iungere, vigore capitularium. Ea cautione possunt contrahentes & confœderati odiosa doctorum axiomata effugere, tum congregationes regulariter prohibere, *d. c. 1. §. Conuenticula, de pace iuram. firm. vbi Isern. & Aluarot. argum. d. l. fin.* tum præsumi illicitas, *Menoch. consil. 28.* cum videatur minui potestas & iurisdictio superioris, tum in malū finē factas, *Belli. c. Si quis, 11. q. 1.* inprimis à subditis, *Iason cons. 86. num. 1. lib. 3.* Operā dabunt, dico, vt fœdera fundata sint in pace publica cōseruanda & promouēda, & peregrinorū illata vi repellēda, vel turbatorū Imperii milite reprimendo. 237 Fœdera sint in pace publica fundata.

Et eo sensu puto accipiendaque eleganter & grauiter vrget *Iulius Pflugius Episcopus Naumburgensis, in oratione de Republic. Germ.* scilicet, Maximilian. de 238 Pflugii Episcopi oratio quomodo accipienda.

ſententia ordinum lege cauiſſe, nevllus Germanorum contra legem de pace publica ſe cum aliis Germanis vllo fœdere iungeret, neve bellum ſine autoritate publica ſuſciperet, aut ſocietatem cum exterisgentibus contraheret, vel militem conſcriberet: Quod bene notandum, &c.

239 Quæſtiones in alium locum reiectæ.

An cum extraneis & remotiſſimis, ſuperbis, ambitioſis, alterius linguæ, diuerſorum morum, variorum populorum armis vexatis, vt Hiſpanis, Gallis, Polonis, ſit conſultum, ac cum ciuitatibus mediatè aliis principibus ſubiectis cõtrahere, expoſitum ſuprà ex parte, & alibi, vti promiſi, explicabimus, & hac de re Iulii Pflugii ſententiam examinabimus. Nam vt de priuatis collegiis ait ICtus Caius *in l. 1. Quod cuiuſque vniuerſ.* Sic etiam de publicis rectiſſimè dicitur non ſocietatem, non collegium, non huiuſmodi corpus paſſim omnibus habere conceditur: nam & ll. & conſtitutionib. ea res coercetur, *l. 1. l. 3. De coll. & corporib. l. 2. De extraord. criminibus, l. 9. C. De SS. Eccleſia.*

Num

Num etiam liceat ſolo intuitu relligionis bella gerere, vt voluit Imp. Iuſtinian. & alii multi, Petrus Gregorius, *lib.13.De Repub.cap.6.* infra diſputabimus; & Ayalæ opinionem, exiſtimantis, infidelibus bellum reſpectu relligionis nō licere inferre, hæreticos verò iuſtè bello oppugnari, refutabimus, an pro vera relligione vel fide tuenda fœdera inire liceat, *vid. Dd.& Archidiac.in d.c. conſtitutionem, de V.S.in 6. Authent. vt cum, De appellat.cogn.§.Si quis, 14.* & quando ob eam rem bella ſint licita, tractat *Innocent.in c. olim.de reſtit. ſpoliat. Sleid. lib. 17.* Vide librum inſcriptum, *Vindiciæ contra Tyrannos Iunii Bruti, An. 80. impreſſum, & quartam partem commentariorum de ſtatu relligionis & Reipubl.in Regn. Galliæ lib. 12.pag. 128.* Quamuis præcipuè principum officium conſiſtat in exequendis Dei mãdatis, *Deut. cap. 17. cap. Regum officium 23. q. 5.* & doceant hoc exempla Dauidis, Salomonis, Ezechiæ, Ioſię: Tamen ſcio præſtantiſſimos viros in ea eſſe opinione, Eccleſiam humanis conſiliis non regi, neq; armis defendi poſſe, nec vn-

240 An liceat reſpectu relligionis fœdera cõtrahere, vt bella gerere.

quam fuisse felicia fœdera aut euentu salutaria, & prospera inita pro doctrinæ cælestis propagatione.

Verum non est nostrarum virium & facultatum neq; instituti, hãc quęstionem spinosam resoluere, odiosam & inutilem sub piis Principibus, sub impiis periculosam. Dici tamen potest probabiliter, bellum propter relligionem illatum, iustè repelli posse, inprimis si cõtra LL. conuentiones, immunitates & exẽtiones, & in summa, priuilegia, opprimerentur subditi. Eo enim casu subditos contra Magistratum absolutam potestatem nõ habentem propter defensionem iuris, animæ ac corporis & bonorum arma sumere posse voluit *Dominicus à Soto, De Iust. iur. libr. 5. q. 1. art. 3. Vasq. illust. controuers. libr. 1. cap. 8. num. 33. Antimachiauelli Comment. libr. 3. de polit.* Contrarium defendentibus Lensæo, Pamelio, Autonomiæ magistro & Lipsio, creduli non sumus, quos si acceperis de merè subditis, ipsorum sentẽtię astipulamur, iustam defensionem contra iniustam offensionem personas

241 Magistratui absolutam potentiam, sed restrictã & limitatã ex cõtractu vel priuilegio habentem licere resistere ad relligionem coactis.

priua-

priuatas non habere; cui ſentētię etiam ſubſcribere videtur *Albericus Gentil. libr. 1. de iur. belli.* Sed quomodo hæc tractetur quæſtio, improbis anſam prębet re- 241
bellioni ac ſeditioni & omnib. Hæreticis defenſionis materiam. Omnes enim veritatē prętendunt, & nulla eſt hęreſis tam aperta quæ non glorietur nomine Christi, *Nouell. conſtit.* 109. *in præfat.* vt vel ex hac vnica ratione fidei, relligionis, & conſcientiæ libertas ſit ſubditis concedenda, modo illa ſit circundata quatuor cōciliis, Epheſino, Niceno, 242
Conſtātinopolitano & Chalcedonēſi; qui enim diuerſam à ſanctis his cōciliis relligionē profitetur, *Hæreticus* Iuſtiniano Imp. dicitur *Nouell. conſt.* 115. Priuati dum iure non poſſunt potentiæ reſiſtere, repetant illud, Qui pro ſalutis cauſa paſſi ſunt, proſper illis euentus erit, cum pater omnium DEVS atque vniuerſa reſpiciens ſequentibus ſe, vitam præbeat æternam, *Ioſeph lib. de Macab. in fin.* Defendenda enim eſt relligio, nō occidendo, ſed moriendo; non ſæuitia, ſed patientia; nō ſcelere, ſed fide, inquit

Nullam eſſe hęreſin quæ non glorietur nomine Christi.

Hæreticus quis.

Lactant. De inst. lib. 5. Alioquin seditiosus cõtra regem in suam ipsius salutem est seditiosus, Xenophon *libr. 6. de Cyri exped.*

Sufficiat in præsentia admonuisse Politicos sanos & genuinos, vt sint Principib. autores in qualibet determinata secta, ne persecutiones instituant, ex quibus nihil vnquam boni, nisi tumultus, seditiones, interitus regnorum, laniena Rerumpubl. & euersiones extiterunt, *Autor Comment. De regno, mihi folio 257. Petrus Gregorius lib. 12. De Republ. cap. 4.* Rerumpub. ciuitatum, familiarum, imo animarum interitu secuto & atheismo introducto, vt ex Scribarum & Pharisæorum persecutionibus apparere notat *Kleinbergius, libr. de Rellig.* melioribus certe rationibus quam Pamelius contrarium.

243 Sigefridus malitiosus scriptor.

Res quam probandam suscepimus amplius incerta non pendet, ac ex præmissis perspicuum est, quam sit vanus, malitiosus & falsus scriptor Thomas Sigefridus, dum fœdera in vniuersum vitãda censet, & quam vere ac firmiter dica-

dicatur, icta fœdera Principibus Christianis permissa. Non quidem opus fuit in re tam clara, certa, firma, solida & perspicua tantum consumere verborum; sed tamen insidiis Sigefridi occurrendum fuit, ne qua rima ad decipiendos simplices & indoctos Principes nonnullos; peruersis & audacibus sub prætextu Relligionis pateat. Dum verò hæc asserimus; non hoc volumus, cõfœderatum nunquam posse recedere à fœdere: nam ex ratione iusta licere dubium non est; *arg. l. 14. 15. 16. & ibi Hotomann. pro socio.* Sit tamen iusta, & magna, non leuis; *Alberic. Gentil. libr. 3. de iur. belli, cap. vltim.* Quod enim Vlpianus de societate priuatorum respondebat, caussæ nihil est, cur eo non velimus in hoc argumento vti: Si ita, inquit, iniuriosus & damnosus socius sit, vt non expediat, eum pati; renunciare socium societati posse. *Alexand. volum. 7. consil. 20. numero 3.* de quo infra agemus latius; *Albericus Gentil. libr. 3. de iure belli, capite 14.* & supra attigimus.

Cauillum itaque publicè ante paucos annos venditum, rursus recipiat, ac in proprios vsus conseruet, nec Principes ac alios viros bonos circumueniat, sed veritatem Theologus, vt puto, amplectatur, ne ipsum Alazonam vocemus, cum tantus in nobis amor veritatis esse debeat, vt quicquid dixerimus iuratum putemus, Hieronymo teste, & nemini expediat à veritate diuertere, *Tertullian. de præscript. aduers. hæret.* Athanasius enim recte dicebat, veritatem rebus omnibus anteponendam.

Humanos itaque errores & mendacia relinquamus, & in veritate Dei maneamus, inquit *Cyprian. lib. 1. Epist. 4.* Rebus enim melius discussis, in detecta potius veritate quam erroneæ opinionis, licèt plausibilis, falsitate deinceps est adquiescendum, *Iason in l. properandum 10. §. siue, num. 8. C. de iud. Panorm. in c. ad hoc, num. 23. de postulan.*

I nunc Sigefride, & inscribas foliis & spoliis te prolytam, & impudentiæ esse scias, *M. Tullio autore pro. Cluentio,* pro-

profiteri, quod non possis implere. Breui post, Deo dante, audies Principi Christiano etiam licere cum impio fœdus contrahere; contra impium imprimis, interim bonam mentem assumas, & frontem ferias & tua agas: nec falcem in alienam messem immittas.

Qui simulant falsum se inuoluere voce necesse est;
I nunc & pactis numen adesse, nega.

Scripta in conuentu Deputatorũ 1595. Spiræ relecta 1597.98. in Comitiis Ratisbonensib.

CAP. III.

De nomine vel notatione fœderis.

QVemadmodũ in vestitu hominum, cæteroque vitæ cultu, loco ac tempori apta sumuntur; ita quæstionum grauitas & varietas pro conditione rerũ in familiari explicatione tractãda est. Quamobrẽ notationem nominis paucis, & nõ exquisitis rationib. explicabimus. Vt.n. gradatim descẽdamus ad rẽ,

1 **Quænam ratio in explicationib. rerum tenenda.**

& ère est, vt IC. loquitur in *l. 1. De rebus cred.* Verbi etymologiam, quæ proprietatem rei ostendit, *Spannoch. in tract. de noui operis nunt. pagina 52. num. 136.* indagare, vnde videlicet fœdus dicatur. Multum enim est momenti in pura & simplici verborum explicatione positum, cum verba, Philosopho autore, eorum quæ animo concipiuntur, sint notæ, *Muretus in Oration. 8. libr. 1.* quam habuit Romæ cum inciperet interpretari Pandectas Iuris Ciuilis, mihi, *pagina 131.* ac *Ioachimus Camerarius in tract. De nominibus equestribus, in princ.* inquit, non esse quicquam ad cognitionem vllarum rerum magis vtile, vt Plauti verbo vtar, conducibile, quam nominum exploratam significationē, post *Aristotel. libr. 1. De cælo, capite 11. lib. 2. Sophist. Elench. c. 2.* Licèt vero in rerum cognitione verborum vis & efficacia magis intelligatur, & M. Tullio monente, rebus ignotis nota non possint esse nomina, & nominis sine re, incerta sit cognitio: tamen sicut natura ab elementis, sic ars à vocabulis incipere

2 Notatione nominis, vnde fœdus dicatur.

3 Cognitionē vocabulorū ad rerū intelligentiā conducibilem.

4 Omnem disciplinam incipiendā à vocabulis.

cipere debet, & quidem omnis disci-plina, *Bald. in l. libertinum. 5. C. de oper. li-bert.* Turpe quippe est disserenti pro-prios terminos ignorare, & prius de-terminare rem ipsam, quam terminos percipere. *Angel. consil. 100. Mantica præceptor meus in pr. de Coniect. vltim. vo-lunt. Prosp. Farinac. in Tractat. De Prax. crim. Tit. 5. lib. 7. num. 1. quæst. 36.* Hoc enim pacto possumus significata distingue-re, ne in æquiuoco procedamus, *Bald. in l. Nequicquam 9. ibi, decretum, De officio pro-cons.* Vnde Iurisconsulti tam diligenter verborum significationes sunt persecu-ti, *l. pueri, 204. l. pronuntiatio. 195. de verb. si-gnif.* neglectus enim verborum rerum parit incertitudinem: *Oldendorp. Clas. 4. act. mandat.* quem refert *Iacob. Rickius in Tract. De vnione prolium, c. 1. num. 1. Rolan-dus De commissariis, lib. 1. cap. 2.* Rectissi-mè itaque & concinne philosophorum princeps Plato in Cratylo, dixit: Ex verborum intelligentia cognitionem rerum pendere, & eo nomine, quod in patefacienda singularum vocum vi & proprietate diligens fuerit, ab Agel-

5 ICtos Romanos proprietatis studiosissimos.

lio commendatur Labio Antiſtius, re-
ferente Briſſonio eruditiſſimo viro,
qui miſerè Pariſienſi obſidione duran-
te, partibus Hiſpanicis fauens, periit,
in *præfat. de verbor. ſignific.* Generaliter
quippe verum eſt, notitiam rei debe-
re præcedere principia nominis, *l. 1.
De furt. Dd. in l. 1. de iuſt. & iure, in l. 1. de
adquir. poſſeſſ.* ne fœda nominum & re-
rum confuſio ſequatur, vt *Imperat. Iuſt.
in l. vltim. Cod. de legit. tut.* loquitur. Hinc
Polybius lib. 3. hiſt. nomina etiam regio-
num plurimum momenti afferre putat.
Idcirco Iuriſconſultis cognitio Gram-
matices neceſſaria eſt, *Tiraquell. de nobi-
lit. c. 31. num. 464. Hottoman. in Iurisconſul-
to, fol. 40.* Quæ enim Iuriſconſultorum
reſponſis explicantur, non tantum in
recti prauique diſcrimine, verum et-
iam verborum interpretatione poſita
eſſe teſtatur *Quintilianus lib. 12. Inſt. cap.
3.* Et quamuis amicus noſter optimus
Albericus Gentilis eruditiſſimus vir, io-
cosè diſputet, Iuriſconſulto Gramma-
tices cognitionem non neceſſariam,
& *Petrus Rebuffus in l. 120. de Verborum ſi-*

5 Iuriſconſultos Romanos proprietatis ſtudioſiſſimos.

6 Iuriſcõſultis cognitionem Grãmatices neceſſariam.

gnificat. eos rideat, qui Plautum autorem in Asinaria & Aulularia adducũt; tamen nos in expositione vocabulorum Classicis autoribus licitè vti, probat ipse *Imperat. in l. 2. §. penult. Cod. De constitut. pecu.* Et Iurisconsultos in vocabulorũ deriuatione rectè sequi Grãmaticos & poëtas, testatur *Tiberius Decianus, præceptor meus, Consil. 123. numero 21. vol. 3.* Non iniuria itaque *Petrus Faber 2. Semestr. c. 2.* eos notat, qui vim & proprietatem verborum non tenent, interim tamen damnantes operam, quæ in verborum iuris explicatione ab eruditioribus consumitur; quem eundem Fabrum miseret istorum imperitorum hominum. Quod tamen ita est accipiendum, ne Reges puerorum sequamur, qui spinosius in deriuationes vocabulorum, in quibus tamen, docente Isydoro, diuinare licet, vt & quandoque in intellectibus ad iura assignandis, *Vdalricus Zasius in l. si duo, §. Marcellus, De iureiurando, Martinus Monterus Decis. 1. numero 48.* inquirunt, ne pestis Grammaticalis in inti-

7 Non superstitiose inquirẽdum in deriuationes verborum.

mos Regiæ diſciplinæ aditus ſerpat, quod hodiè fieri, poſt *Albericum de Roſat. in procem. primæ conſt. ff. præfixæ in pr.* deplorat *Iohan. Bodinus*, Gallicarum laudum ſupra modum præco, *in præfat. Meth. hiſt. Alberic. d. loco* queritur, illum morbum irrepſiſſe quoque in ſcientiam Theologiæ, quod prædicatores & Dd. relictis ſacris Scripturis ad figuras, Philoſophos, Poetas & fabulas ſe conuertant; cum tamen ea, quæ meræ ſunt ſcientiæ, tantum valeant in pietatis articulis, quantum canis in balneo, vt in quadam Oratione ſcribit Alciatus. Si de re conſtet, calceum voces, *argumento l. 6. De rebus creditis*, vbi Pomponius putat; nihil referre, proprio nomine res appelletur, an digito oſtendatur, an vocabulis quibuſdam demonſtretur.

7 Verba rebus eſſe ſubiecta.

Non enim res verbis, ſed verba rebus ſunt impoſita, *c. intelligentia. de V. S.* & rebus potius, quam verbis ſpectatur affectio, *Symmachus libro tertio Epiſt. 28.* nec verbis, ſed rebus leges imponuntur, *l. 2. C. Com. de legat. l. fin. C. de naufrag.* res potius ſectan-

ſectandas quam verba ſcribit *Saluian. Maſſil. De gubernatione Dei, lib. 1. pag. 2.* Et iuſtum eſt voluntates contrahentium potius, quam verborum cōceptionem inſpicere, *l. vlt. C. Quæ res pign. oblig. poß.* cum verborum interpretatio nuſquam tantum valeat, vt ſenſu melior exiſtat, *l. 3. C. De liber. præter.* Ne voluntas contrahentium ob verborum ſubtilitatem impediatur, *l. vn. C. vt actiones ab hæred. & contra hæred. l. 2. C. De conſtit. pecu. l. Ratio, de ſolut.* verborum quippe inanium, reſcribente Imp. in *l. vt verborum, 9. C. Qui admit. ad bon. poß.* ratio non eſt habenda. Verbis enim ita inhærere eſt ius ciuile, & omnem prudentiam calumniari & λογομαχεῖν, *l. pen. ad exhib.* Ne ſtulta verborum cura cum negligentia rerum ſuſcipiatur, vt loquitur *Demoſth. in exord. concion. 10.* Neve fiamus ſimiles Grammatico Domitio cuidā, cui propter exactam & penè furioſam verborum interpretationem, *inſani* nomē datum eſt. *Agellius lib. 15. c. 7.* Eleganter *M. Tullius in orat. pro A. Cæcinna*: ibi, quæ lex, quod S C^tum^. Et Catholicum eſt, men-

tem esse potiorem voce dicentis, *l. Labeo, 7. de supellect. leg. l. 20. De rebus cred. l. 1. de exercit. act.* Imperiorum etiam vis non in multitudine verborũ, sed robur eorum in vero & iusto rerum effectu cõsistit. *Nouell. Constit. 82. in præfat.* Et verba ac vocabula fingere sæpe cogit necessitas. Eleganter *Seneca Epist. 58.* Et leges non subiacent Prisciano, *Bald. in l. Quoniam, C. de testam.* qui nihil ignorauit, opinante Iasone, in *l. Diuortio, §. Quod in anno. num. 6. Solut. matrim.* Licèt alii aliter de illo sentiant. *Decianus in Apolog. cap. 13. num. 29. Crauetta Consil. 285. num. 3. p. 2. Hottom. præceptor meus in consil. 3. pagina 72. Menoch. remed. 15. recup. num. 29. consil. 33. libr. 1.* Quomodo vero verba obscura vel ambigua tum in cõtractibus, tum in vltimis voluntatib. & priuilegiis sint interpretãda, Dd. nostri passim tractant in consiliis & lecturis, *Mantica & Simon de Prætis de coniect. vlt. volunt. Dd. in c. cum venissent, 4. Vbi Berous de iudic.* Sic itaque habeto. *Fœdus*

8 Fœdus à fide dici.

quod & *fidus* Varroni dicitur, à *fide* ductum multi non exiguæ autoritatis viri

exifti-

existimant, *Guicciardin. lib. 1. hist.* indeq; *Feciales*, publicę fideipręfectos, vt fœdere fides pacis per eos constitueretur, deductos putant. Varro, quem refert & sequitur *Bodinus lib. 5. de rep. c. 6. in pr.* qua tamen fide & fœdere, si nonnullæ regiones sunt conglutinatæ vel ciuitates cōiunctæ, non cominus inde efficitur, vt omnes istæ regiones & ciuitates vnam Remp. constituant, *Aristoteles c. 1. lib. 1. polit. Casus in Sphæra ciuit. lib. 3. cap. 6.* Vt in confœderatis Hansæ vel Ansæ (in dubio enim vtrumque rectè dixeris) & stulti qui corrigunt, ciuitatibus est videre, nisi alioquin & præter hoc fœdus, idem ordo & eadē administratio Reip. sit introducta, vt in Britannia, Wallia & Hibernia, quæ vnam Remp. conficiunt, *Guilhelmus Cambdenus in sua Britannia:* Corpus efficiunt confœderati, non remp. vnumque est confœderatorum corpus. *Menoch. præceptor meus consil. 99. num. 39.* Hincq; confœderatos hostes sui cōfœderati punire posse traditū est *argumēto l. Nō dubito, De capt. & postl.* Et hinc eum, qui offendit confœderatos, Cæ-

9 Confœderatos vnum corpus, non eandem Rempubl. constituere.

ſaris crimine læſæ maieſtatis teneri reſponderunt *Dd. Menoch. d.loco.* Etſi verò ſunt vnum corpus regiones vel ciuitates confœderatæ, tamen non ſtatim iisdẽ priuilegiis iſtius ciuitatis vel principis, cum quo fecerunt fœdus, fruuntur. *Bald. in Auth. Et omnino, C. Ne vxor pro marito.* quod Helueticarum & Balticarum exemplis probat *Bodin. in Methodo histor. c. 6. mihi pag. 163.* Sed ad rem.

10 A fœderib. malam fidẽ abeſſe debere.

Veriſimile eſſe dixi fœdus à *fide* dici, maxime enim in fœderibus mala fides abeſſe debet, vt antiquæ formulæ Græcorum oſtendunt, ἄνευ δόλου καὶ ἀπάτης. *Herod. lib. 1. & 8. hist.* & ſine dolo malo. *Liuius lib. 7. decad. 4.* tum in contrahendo, tum in diſſoluendo. Quemadmodum enim bona, ſincera, integra fides, *l. 1. C. de ſuffragiis, l. 2. C. ſi propter publicam penſitat. l. 10. C. de diſtract. pign. l. 5. C. de reſcind. vendit.* in omnibus contractibus maximè bonæ fidei requiritur, *l. 3. C. de reſcind. vendit.* ineundis, ſic etiam in diſſoluendis.

11 [F]ide con[s]tare Rem[p]ub.

Vniuerſam enim hominum vitam ac ſocietatem absq; fide conſiſtere non poſſe, connubia, fœdera, pacem, bella,

omnia

omnia commercia & promiscuum rerum vsum experientia testatur, *Liuius lib.3.Deca.3.* Nisi fide stet Resp. opibus non stabit; *Bodin. De Repub. cap.6. Curt. in l.1. De pact. num.13. l.1. De const. Prin. l. 26. §. 1. Depos. Mocen. De perf. homine, par.1. concl. 5. cap.78.* Bona itaque fide ferienda sunt fœdera, hoc est, reuera & seriò. *Seneca lib.2. Epist. 8. & in lib. de consol. ad Albin. c. 16.* Quę formulæ loquendi etiam apud Tertullianum aduersus hęreticos reperiuntur. Magna, inquit, bona fide, cæcitas hęreticorum est. *Et Papinius Statius in præfat. lib.5. Sylua.* Qui bona fide DEOS colit, amat & sacerdotes. Hinc bonæ fidei debitor apud *Symmachum lib.3. Epist.24.* qui nullo modo differt solutionem, nec expectat interpellationem. *l.2. C. De iure emphyt.* alioquin veniunt vsuræ & fructus à tempore moræ. Volgata *l. videamus, §. si actionem, & l. mora 32. §. in bonæ fidei, De vsuris.* Hinc possessor bonæ & malæ fidei in libris iuris nostri. Bona fides hîc opponitur malæ fidei & dolo, vt dolus bonus dolo malo. Est enim διαστολή, nō epitheton, vt in pacto

12 Bona fides.

nudo, *Cuiac. ad l. 1. de pact.* opponitur arti subdolæ. Artē enim pro dolo malo accipimus, Virg. - - - *arte Pelasga*. Inde artes vetitæ, *l. 1. de abigæis*. Bonafides quãdo opponitur stricto iuri, non quod in stricti iuris iudiciis abesse debeat; sed qa contractus bonæfidei sunt laxi iuris, & bonafides interpretationem capit pro eo, quod est laxũ & rigori oppositum. *l. Cum hic status, De donat.* Strictum verò
13 Strictũ ius. hîc dicimus rigorē iuris, extra verba æquitatē non admittentē, *l. Non solũ, §. de vno, De ritu nupt. l. 2. §. Item Varus, De aqua plu. arc.* Strictum ius variè in iure accipitur. Primo, vt aduersum sit humanitati: *l. Pantomimus, 86. De adq. hæred.* Sic seueritas pro stricto iure accipitur, *l. 6. C. de hæred. inst. l. nulla 25. de LL^bus*. Seuera interpretatio, *l. 2. De custod. reor.* Stricta interpretatio, *l. Seruitutes, 19. §. Si sublatum, De seruitut. vrb. præd.* Sic strictam rationem accipimus in *l. 7. §. Quod si vno, De adqui. rer. dom.* Sic strictum ius dicitur, à quo recedere nõ licet, *l. 12. Qui & à quib.* Cum stricto iuri nihil addere vel detrahere liceat, *l. 19. De vsufr. legato, l. 15. C. de*

fide

fide instrum. Tiraq. de vtroque retract. Stricti iuris contractus dicuntur, qui stricto iure sunt muniti. §. *Actionum, Inst. de Act. l. vn. §. Sed etsi, C. De rei vxo. act.* Et ad non cogitata, vel non dicta minime extenduntur, *l. 99. 102. de verb. oblig. l. 3. §. 1. De act. empti.* Nec obstat nostræ deriuationi, licèt dixeris in omnibus negotiis requiri bonam fidem, *Accurs. in §. Actionum, Instit. de act. per l. bonam fidem, C. de oblig. & act. l. 1. De pact. l. 2. §. hoc interdicto, De precar. M. Tull. lib. 3. Offic.* Ergo omnibus conuentionibus commune vocabulum vni non posse tantũ astringi. Nam hoc cõcedimus vltrò, neq; vllos admittimus vt insulsi nõnulli Theologi, falso debacchãtur, cõtract⁹, in q.b. nõ insit bona fides. Licèt vero in omnib. actibus & contractib. bona exigatur fides; tamen maior bona fides in hoc, ac in illo requiritur. Ratio est, quia vnius contractus partes possunt esse iusta & ꝓbabili ex causa fauorabiliores quã alterius; vt elegãter & grauiter more suo M. Tull. de mãdato in *Orat. pro Roscio Amerino* disserit, referẽte *Mynʃ. ad Tit. Inst.*

de mandat.num.9. Et ante eum *Olden-dorp.Claſ.4.Act.24.* Sic actio depoſiti maiorem exigit bonam fidem, ac reliqui contractus bonæfidei, *l.1.& 6.De his qui not.infam.l.7.l.vlt.Commodati.* Similiter non ſunt eodem modo ſtrictæ actiones ſtricti iuris. Quare verò non omnes actiones ſint eiusdem bonæfidei, ſcio quæſitum? Ad quod reſpondent noſtri, & eam rationem communiter receptam video, quod frequentior eorum, quæ bonæfidei dicuntur, ſit in hac ſocietate politica, vſus argumento *l.iuſto 44.De vſucap.* Quę ratio mihi proba videtur, etiamſi Iaſoni non arrideat in *d.§.actionum,num.18. Hottom.& Weſenb.* Sic itaque, vt ad propoſitum redeamus, eodem modo in fœderibus maiorem bonam fidẽ ac in priuatis negociis exigimus. Quandoquidem vt Liuius ait *lib.4.* Non modo fidem inuiolatam tueri oportet, ſed etiam ab omni ſuſpicione remotam, *Liuius libr. 22.31. Dion.in Marc.* eoque nomine quod fidem ad extremum vſque ſeruarit, commendat Attalum Regem Pergami; *libr.33.37.*

Ideo-

Ideoq; Romani Fidē tanquā Sanctam pro numine colebant, & sacrarium solenne *Fidei* instituebant, in quo fœdera & inducias iureiurando confirmabant, *Liuius lib. 1. & 24.* Et Numa soli fidei solenne instituebat, *Liuius lib. 1. fol. 11.* Et dextera data fidem futuræ amicitiæ sanciebāt. *Liuius lib. 1. in pr.* Et breuiter, nihil tam pretiosum debet esse mortalib. quā fidei fulcrum: Nam & DEO magis placere fidē ac sacrificium Ethnicus poeta docet: *Epist. 15. Ouid.*

Non boue mactato cœlestia numina gaudent;
Sed quæ præstanda est, & sine teste, fide.

Fides enim & par, mutuusq; metus, vtrinq; fidelis est fœderū custos, inquit Thucyd. Fœdera enim, inducias, pacta astutè contrahere, seruare, interpretari, magnorum virorum & bonorum dignitati & integritati valde repugnare, & scelestissimorum hominum ac vilissimorum procuratorū esse, ex historiis antiquis & recentioribus infrà demonstrabimus; vbi, ordine exigente, dicendum quib. modis fœdera dissoluantur.

14 Principum contractus esse bonæ fidei.

Si .n. omnes principum cōtractus sunt bonæ fidei, *Hottom.* vt docet *cons.* 15. *Alciat. lib.* 8. 45. Ergo & fœdera inprimis: Tales itaque sint contrahentes, quales volunt esse, scilicet magnę fidei, quibus etiam absque solenni iuramento fidendum, & quales esse debent; *Dec. cons.* 97. *Zasius cons.* 1. *lib.* 2. *num.* 20.

15 Feudum à fide.

Ex eadem ratione feudum dicitur à fide, *c.* 5. *§. fin. per quos fiat inuest.* quod in feudo inprimis fides & fidelitas requiratur, *Cuiac.* 8. *obs. c.* 14. *Borcholt. c.* 1. *num.* 20. *De feud. post alios.*

Vnde vasalli fideles, *cap.* 5. *De his qui feud. dare poss. cap.* 5. *Quibus mod. feud. amit. cap.* 5. *de contr. inter dominum.* Et ita communiter Dd. statuere tradit *Borcholt. d. c.* 1.

16 Feudum à fœdere.

Alii aliud Etymon posuerūt, *Zasius, Hannet. Sonsbec. Camer. Montan.* Nōnulli feudum *à fœdere* deducentes, *Thomas de Marin. tract. de feud. tit.* 16. *De feud. sine fidel. num.* 3. *Bodin. de Rep. c.* 9. videl. quod his verbis literis seorsim expressis, nō contractis vtebantur:

F. E. D. V. M. Fidelis, ero, domino, vero, meo, *Bodin. d. loco.* Quia in multis inue-

inuestituris variis in locis, inprimis si inspexeris Comitum Westphaliæ inuestituras, deprehendes fœdus in iis comprehensum inter dominum & vasallum, & vt dominus feudi vasallũ Comitem protegat & defendat, vasalliq; arces & munitiones semper pateant domino; quo pacto Carolus M. eũ Venetis etiam fœdus contraxit, vt sicubi necessitas exigeret, vt Carolo opus esset nauibus, vt certum numerum nauium bonarum darent, & certam pecuniæ summam contra Turcos conferrent; & vt quãdocunq; vsus postularet, illi loca eorum & portus omnes paterent, etiam Venetiæ ipsa vrbs, *German. Chron. lib. 9. pag. 75.*

Ex his relinquitur fœdus *à fide* dici. Quæ etymi ratio magis prægnans, & firmior mihi videtur, quam etiam sequitur magnus ille Philippus Melanthon, summi ingenii & incredibilis pietatis homo, in *Commentar. ad Malach.* 17
vbi de Sacramentis agit, *pagina 546.* Alii nominis deriuationem à *Fecialibus*, id est, Sacerdotibus, penes quorum

Fœdus à fecialib.

collegiũ erat publicæ relligionis pars vna, non minus necessaria, quam quæ erat penes Augures aut Sibyllinos Sacerdotes; ne enim temere fœdera inirent, constituerunt prudẽtissimi Rom. ne absque iusta deliberatione pangerentur. *Plutarch. in Camil.* eos suffragiis populi creatos putat *Grucchius libr. 2. de Com. Rom. fol. 199.* Per quos fiebãt fœdera: de quorũ nomine & munere *Dionysius lib. 2. Plutarch. in Numa. Non. Gell. libr. 16. cap. 4. & lib. 10. c. 27. Seruius super Virgil. lib. 9.* Et nouissimè *Alber. Gentilis lib. 10. De iur. bel. cap. 12. Ayala de off. bell. cap. 1. lib. 1. Carolus Paschalius in legatô cap. 56. pag. 343. Et sagminibus iis traditis, Dd. in l. 8. De re. diuis. post Plin. libr. 22. cap. 2. Et Liuium libr. 1. Decad. 1. fol. 12. & 17. Decad. 1. libr. 9. pagina 218.* ibi, negarunt iniussu populi fœdus fieri posse, nec sine fecialibus, *Decad. 1. libr. 9. pagina 221. Decad. 3. libr. 10. fol. 515. ibi: Vt priuos lapides, silices, priuasque verbenas secum ferrent.*

Istis Fecialibus denunciatio, siue, vt Dd. loquuntur, diffidatio, *Iason in l. Ex hoc iure, num. 30. De iust. & iure.* incum-

cumbebat. *Varro libr.4.de lingua Latina, Gell. libr. 16. c. 4. Zasius in l.2.§. Et ita leges, num.19.De orig. iuris.* deducant. Et licèt *Syluius Epist.* 126. Heroldos quasi Heroas in locum fecialium successisse putet, tamen maxima fuit inter hos & illos diuersitas. Hi feciales, iudices erant fœderum, legationis, pacis, belli, induciarum, oratorum, *Cic. libr. 2. de ll. Nonius Marcellus lib. 2. & 3. Varro de vita pop. Rom.* & collegium habebant, *Onuphr. Patauin. de ciuitat. Roman. pagina 462.* Sanctissimum pop. Rom. *Cic.* 1. *Off.* ab antiqua gente Æquicolis descriptum, & à Numa Pompilio institutum, *Dionys. d. lib. 2.* Feciales bellum indicebant, *Liuius lib.* 1. *Alex. ab Alex. libr.* 1. *cap. 26. in fin. libr. 5. cap. 3. Genial. dier.* signo ex arce monstrato rebus raptis per clarigationem repetitis, hastaque in fines hostium emissa, *Gell. d. lib. 16. cap. 4. Arnobius aduersus gentes libr. 2. P. Faber libr. 2. Semestr. c. 2. Farnesius de simulachro Reipubl. lib. 3. cap. 6. pag. 83.* quæ indictio tanquam iustissima olim sanctè seruata, *Polyb. lib. 13. Lactant. lib. 6. cap. 9. Florus 2.*

18 Magnum discrimen inter Feciales & Heroldos.

19 Indictio belli.

hist. Herodot. in Polymnia. Quemadmodum enim leo ad pugnam cogitur, *Plinius lib. 8. cap. 16.* Sic quilibet magnanimus princeps; quam tamen indictionem semper necessariam negamus. Si enim ab alio indictum non est, cum apparatu veniente, quorsum indictio? frustra etiam indicimus bellum iis, qui pro hostibus habentur; sic bellum internecinum indictionem non requirit; cum nulla belli geratur lege, vti profusius docuit *Gentilis lib. 2. de iure belli, cap. 2.* Hodie alio & non vno modo indicitur. Legimus enim in *Facio lib. 6. p. 169.* Chirotheca militari oblata Alfonsum Regẽ Arragoniæ à Renato prouocatum ad bellum. Et fecialis patrem patratum faciebat, verbena caput capillosque tangens, fœdus, verbis peragebat; legibus „ deinde recitatis: Audi, dicebat, Iupi„ ter, audi, pater patrate, populi Albani, „ audi tu populus Albanus, vt illa palam „ prima postrema ex illis tabulis cerave „ recitata sunt sine dolo malo, vtique ea „ hic hodie rectissimè intellecta sunt, il„ lis ll. populus Rom. prior non deficiet.

Si

Si prior defexit, publico consilio, dolo «
malo, tu illo die Iupiter pop. Rom. sic «
ferito, vt ego hunc porcum hodie fe- «
riam: tantoque magis ferito quanto «
magis potes, pollesque. Id vbi dixit, «
porcum silice percussit. *Liuius lib.* 1. *De-* «
cad. 1. *&* *Decad.* 1. *libr.* 9. *pagina* 218. Alii 20
à fœdè cædendis victimis, quæ in paci- Fœdus, à fœde cædē-
scendo fœdè & crudeliter necabantur, disvictimis.
eiusque mors optabatur ei, qui à pace
resiliisset, ex formula à Liuio lib. 1. de-
scripta, & iam recitata. Etymi ratio-
nem sumunt inde quoque: *Virgil. lib.* 9.
Æneid.

------ & cæsa iungebant fœdera porcâ.

Quod refert *Fort. Gar. in Tract. De pact.*
Soni grandioris vitandi causa poëta
noluit vti masculino, non quod volue-
rit aliquid singulare denotare. *Alber.*
Gentil. libr. 1. *de legat. cap.* 13. Hoc ety-
mon probare videtur mos gentis Iu-
daicæ, quæ in sanciendis fœderibus so-
lebat etiam cædere victimam, *P. Mar-*
tyr libro primo Samuel. capit. 18. *versic.* 3.
in verbo percusserunt; vbi ad hoc pro-
bandum adducit locum *Hieremiæ, cap.*

34. Sed multæ apud antiquos fuere ſpecies, & non vnus mos feriendi fœderis, *Liuius lib. 10. dec. 3. p. 518.* eleganter docet *Alex. ab Alex. Genial. dier. libr. 5. c. 3. Claudius Coterinus de Iur. & priuileg. mil. lib. 3. cap. 21. Camer. in medit. hist. cap. 6.* Nam porco, ariete & tauro immolatis fœdera contrahebant & faciebant, iam pane pretioſo & inuicem guſtato, vt vini poculo epoto. Zenodotus prodidit Homolottos populos, diſſecto in minimas partes boue, fœdus iungere. Hinc bos Homolottorum prouerbio dicebatur, in plurima diſtractus negocia. Carthaginenſes, vt infra dica, propria manu fœdera ſcribebant, *Liuius Decad. 3. libr. 1. pagina 286.* Romani columna ænea inſcribebant. *Liuius lib. 1.* Contractus fœderum erant ſimpliciſſimi apud Romanos, & tamen firmiores noſtris iuramento confirmatis. Qui enim hodie ſimulandi diſſimulandique calliditate eſt inſtructus, is ſolus ſibi ſapere videtur. Sed quælibet gens fœdera ſuo ritu & more ſanciebat, *Herodot. libro quarto, Tacitus*

lib.

lib.12. Xenoph. lib. 2. De exped. Cyri, Hom. 3. Iliad. eleganter *Paschalius in legato, pagin. 345. cum seqq. cap. 56.* Diabolus cum suis fœdus cõtrahens eos cogit, vt reciprocæ obligationis formulam & pactionis capita proprio sanguine cõscribant, vt refert *Bodin. in Dæmonomania.* Aristides, vt fœdus contractum firmaret, cum omni Græcia, diris execrationibus præmissis, accensos ferreos orbes in mare deiecit, iuramento adiecto, vt eo pacto omnes extinguerentur cum omni stirpe & gente, qui contra fœdus peccarẽt, velut ferrum ignitum aqua. *Alex. d. libr. 5.* Vandali fœdere inito lapidem in mare coniiciebant, arbitrãtes fœderis violatorem ita periturum. *Crantz. in Wandal. lib. 5. pag. 116.* Quemadmodum Arabes lapide in feriendis fœderibus vsi sunt. *Herod. lib. 3.* Denique in fœderibus sanciendis militarium signorum ceremonia apud Gallosquę fuerit, scriptum reliquit *Iulius Cæsar De bello Gallico, lib. 5. in pr.* Qui verò opinantur fœdus à ferio deduci, quia pax feritur inter dimicantes, illorum opinionẽ probare non pos-

21 Varios fuisse ritus fœderis contrahendi.

22 Fœdus nũ à ferio.

ſumus, cũ huius deriuationis fere nulla ſit ratio. Concernit etiam tantum iſta fœdera, quæ fiunt bello exorto, cum vera fœdera bella præceſſerint, & propriè fœdera ſint coniunctio ſociorum contra bellum inferentes inita. Sancire quoque fœdera veteres ſolebant fulmine, *Virg. 12. Æneid. poſt Homer. Iliad. libr. 3.*

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit. Vnde fœdifragi de cęlo tangi credebãtur: in cuius tamen loci explicatione *Adrianus Turnebus eruditiſſimus lib. 25. c. 9. aduerſ.* Seruio non cõſentit. Alii ducũt vocem fœderis à *Berith*, quod eſt eligere, aut purum eſſe, cum in feriendis fœderibus deligerentur certa quędam capita, quæ ſanctè erant colẽda, aut quod ea purè, candide & ingenue ſine fraude proponi oporteret, *Martyr 1. Samuel. c. 18. num. 3. Xiſtus Betul. in Com. ad Lact. li. 4. c. 20.* exiſtimat fœdus viuos cũ viuis, teſtamentum mortuos cum viuis inire; quod diſcrimen exacte non obſeruatur. Paulus teſtamentum & fœdus vno vocabulo exprimit, & vocatur Διαθήκη: fœ-

23 Fœdus à Berith.

24 Fœdus cum viuis; teſtamẽtum inter viuos & mortuos iniri.

fœdus, confœderatio, colligatio, vnio, copula, treuga, induciæ, liga idem denotant. Quamuis *Accurſ.& alii Dd. Alber. in d.l. 7.* diſcrimen constituant inter fœdus, inducias, & Treugas, quod & Thucydides innuit, ſcribens de Athenienſibus: Cũ Corinthiis fœdus iecistis, cum Corcyræis autem ne inducias quidem vllas vnquam pepigiſtis; Cum tamẽ nihil obſtet, quó minus induciæ abuſiuè poſſint fœderib. annumerari: Induciæ tamen fiunt tantum inter hoſtes, fœdus proprie inter amicos, vel amicos factos; induciæ verò ſunt ICto Paulo autore, cum in breue vel præſens cõuenit, ne inuicem hoſtes ſe laceſſant. *l. poſt l.l.9.§. induciæ, De capt. & poſtl.* Et idcirco rectè dicitur, inducias distare à vera pace, *Felin. in c. ſignificauit, de Iud. Bellin. de re milit. part. 5. tit. 2. num. 2.* quamuis hoc videatur negaſſe *Decius conſ. 531. num. 9.* 25 Inducias & fœdus parũ distare.

Itaq; eleganter à Varrone in libro humanarum deſcribuntur & appellantur *belli feriæ*: quam definitionem κατὰ μεταφορὰν factam notat *Alciatus libr. 9. Parerg. c. 21.* Virgilio autore pax ſeque- 26 Induciæ.

stra. Definiuntur etiam pax castrensis, paucorumdierum, quam definitionem referente *Brissonio de formul. lib. 4. pag. 407.* Gellius mordet *lib. 1. c. 25.* & inducias dictas putat, *inde vti iam:* & pactum induciarum definit, vt in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi detur, sed ex eo die postea, vt iam omnia belli iure agantur. *Cæsar lib. 3. de bello Ciuil.* Inducias à Bibulo postulatas scribit, dum à Pompeio redire posset, neve alter alteri nocere posset. Sunt itaque feriæ, quia finitis induciis partes rursus sunt in guerra, *Bald. in l. illud. De adqui. hered.* quas Froto Daniȩ Rex dolorum & stratagematũ artifex, *Crantz. lib. 1. Daniæ, c. 10.* affirmabat nunquam hosti dandas, ne instrueretur nouis consiliis & auxiliis. Inducias enim & legationes nouas in bello semper dolis nouis munitas, experientia probat, *Crantz. lib. 1. Wand. c. 9.* & quomodo & quando induciæ sint faciendæ, docet *Frachetta libr. 2. cap. 27. De princip.* Breuissimȩ verò quandoque cõceduntur etiam à ducibus belli, *Iacob. de S. Georg. Iason l. 5. De pact. Cephal. cons. 304.*

27 Inducias nõ facile dandas.

Frachetta.

vt

vt alia in breue tempus, *Castr. l. 2. de iurisd.* Breuissimæ verò quandoque cõcedantur, inquam, ad sepeliendos socios occisos. *Dares Phrygius*, qui militauit vsq; dum Troia capta est, *de excidio Troiæ, pag. 169.* Agamemnon Imp. inducias petit in duos menses ad Palamedem sepeliendum; & Achillem per Vlyssem, Nestorem & Diomedem rogãdum, vt in bellum prodiret. Rursus à Priamo petit inducias per sex mẽses, iterum in dies 30. vt suos funerare posset. Rursus Agamemnon concessit Priamo 20. dierum inducias. Tandem fides datur, fœdere firmatur, iureiurando stringitur. Possunt tamen induciæ fieri ad longissimum tẽpus, *Gell. lib. 1. c. 25. Donatus in Eun. act. 1. Scen. l. 19. De capt. Thucyd. li. 5.* Quo casu eas potius paci & fœderibus annumerandas putamus, quam bello. Dabãtur Veientibus à Romulo incentum; à Seruio Tullio in 40. annorum spacium induciæ, *Liuius lib. 1. & 2.* A Furio & Caio Manlio in totidem annos inducias datas, testatur *Liuius lib. 1. & 2.* & cum populo Cærite in 100. annos inducias da-

28 Breues induciæ ad sepeliendos mortuos.

29 Induciæ ad longissimũ tempus.

tas, idem docet *lib.5.* Tarquinienses à Decio Cos. in 40. annos inducias petiisse discimus ex *Liuio lib.9.& lib.4.* narrat Æquis 8. annorum inducias concessas. Sic Isigerdes induciis 100. annorũ cũ Ro. factis, cõseruauit Imp. Theodosio Iuniori: *Niceph.lib.14.c.1.* Sic inducię inter Smaragdum & Lõgobardos ad triennium factæ, *Cran.lib.3.Daniæ c.13.* Et hoc magno ac graui cõsilio factũ existimat *Bod.lib.5.de rep.c.vlt.* cum minus violabiles sint induciæ ac pax ipsa. Sic Carolus Burgundiæ Dux præter Eduardi Regis Angliæ spem, & expectationem, inducias cũ Ludouico Rege Gallię nouem annorum, non pacem fecit, *Barland. in vita Caroli, pagina 358.*

30 Induciæ cũ Turca, nũ prosint Reipubl.

Inducias cum Turca fieri scimus ad sex, octo, pluresve annos, quæ an conducant Reip. Rom. variè Politici disputant, nonnullis opinãtibus bellum an inducias cum Turcis habeamus, vnum & idem esse, cum pacis opinione decepti, plus regionum amittamus, atq; plures Christianos in seruitutem quotidie duci videamus, quã belli tẽpore. Et experimur eo

pacto

pacto militarẽ diſciplinã optimã à maioribus traditam, deprauari atq; in nihilũ redigi, quã quotidie exercendã veteres credebãt. *Plutarch. in vita Põp. Cæſar lib. 1. de bello Gallico.* etiã inter pueros, *Plato de ll. & Ariſt. lib. 2. Polit. c. vlt.* Quib. pręerant apud Rom. Doctores, *Val. li. 2. c. 1.* qui docebant an melius punctim, quã cæſim ferire, *Veget. lib. 1. cap. 7. cap. 18. 19. Cic. Tuſcul. q.* Non me fugit, quæ de dicta quæſtione ſit Lazari Swendii, Della Nouę, Folietæ, Melanthonis, & Stephani ſentẽtia, quibus multum certè tribuẽdum. — 31 Militiã quotidie exercẽdam.

Superet nos multitudine ac cõtinuatione, & quãdoq; vincat; tamen plus cõducere exiſtimo Reipub. Rom. multa reliqua ſi ſalua & in tuto, aperto Marte etiam cum incommodo ordinum & ſubditorum pugnare contra Turcam, quam pacẽ pretio & prece petere incertam & fallacem. — 32 Turcã vincere multitudine & cõtinuatione. Non enim deeſt Germanis neruus rerum gerendarum, modo fiſcus non nimium diligatur, & in tales vſus pecunia vertatur, nec ſubditis tantum onus ferendi imponatur, & præſidia perpetua inſtituantur; vt — 33 Quo pacto bellum cõtra Turc. gerendum.

ea ratione exercitatum militem habere queamus, vel leges sequamur & obseruemus, quas bono animo & ingenuo studio, non tamen vt diuulgarentur, Iohan. Sturmius conscripsit, in libris *De bello aduersus Turcam perpetuo administrãdo. Soranzius in Ottoman.* nouissimè & accuratissimè. Nam tantummodò ordinum Imperii pecunia hoc bellum velle gerere parit dissensiones, & contentiones: & quæ principes à maioribus suis acceperunt, aut illis ab Impp. data fuerunt, ea adimi non possunt absque magno detrimẽto Imperii, vt Sturmius ait: Licèt cum Iulio Pflugio in *oratione de Imperio Rom.* ingenuè fatear, & laudabile esse si plus vtilitatis ac emolumentorum Imp. ex Imperio haberet, & si in eum vsum Principes Imperii vel vectigalia publica restituerent, vel bona ecclesiastica Imp. concederent, & ita cẽsum Principis ad communem vtilitatem augerent, eo tamen modo ne seculares soli, sed ecclesiastici etiam officium in ea re præstarent.

34 Imperat. bellum cõtra Turcam gerẽti, quomodo succurrendũ.

Deberemus itaque distinctione illa inter

inter non volentes & valentes, valde odiosa omissa, cũ nullius vires adeo sint attenuatæ vt non debeãt hoc onus ferre, licet minorib. & sexagenariis, tũ pupillis & viduis olim fuerit remissũ, *Bod. lib.3. de rep. c.5.* esse commodiores, & æquiores in inferẽda pecunia ad Turcicũ bellum, & ad sumptus regiminis Imperialis, *Melãt. in Epist. ad Cam. an. 1529. scrip. p. 121.* Sed hæc nõ ad officium nostrum. 35 Treugæ.

Treugas vocamus inducias, siue factæ fuerint ad lõgum, siue breue tẽpus, tamen semper ad pacem, nõ tamẽ veram, vel fœdus, *Gar. in l.5. num.20. de pact. Gell. lib.1. cap.25. Petrus Gregor. de Republ. lib.11. cap.11. in pr. per c. significauit, De Iud. Bald. in §. vasalli, tit. De pac. Const. Dd. in l. Si ex legat. de verborum obligat.* Sic Dux belli potest facere ex nonnullorum sentẽtia treugam, sed nõ pacem; quãuis variè distinguant *Anton. Corsetus De priuilegio pacis, num.36.* Eleganter *Frachetta lib.2. De princip. cap. vltim.* Quamobrem definitiones pacis, Treugę, iuduciarum à *Porcio in Tit. Instit. Quibus modis ius patr. potest. sol. §. si ab hostibus, numero 14.* traditas,

in vniuersum approbare nō possumus. Itali promiscue iisdē vocabulis vtūtur, & illis est promissio *Di non offendersi*, *Felinus in c. olim 26. num. 1. De accusat. Felinus in Rubric. De Treuga & pace, num. 11,* vbi explicat, qui sint adhærentes, complices, sequaces, consortes, proximi: Germani hanc conuentionem fœderis

36 Synonyma. siue pactum vocant, Verbündtnuß/ vereinigung/ verstendtnuß/ verbrüderūg: Et proprie differt fœdus à Treuga, vt ex superiorib. constat, vt etiā ab induciis. Treugæ enim, induciæ nihil aliud sunt quam securitas præstita personis & rebus ad tēpus, discordia nondum finita, Ein anstandt. Et Treuga dicitur barbare, quasi *trahens* vel *terens anguē*, hoc est, inimicum. *Alb. in d. l. 7.*

37 Fœderis vocabulum polysimon. Fœdus contrahentes dicuntur fœderati, *d. l. 7. in princ. Auth. vt neque miles.* Sic fœderis interuallum dicimus, *l. fin. C. de feriis*, Fœdus naturale, *l. cum qui, C. de episcop. & cleric.* Ex quibus iam clare ostenditur fœderis nomen esse variæ significationis: accipitur enim propriè, pro fœdere; accipitur pro Induciis,

duciis,

duciis, pro coniugio. *Dat fœdera prisci Illibata thori.* Accipitur pro amicitia inter ſanguine coniunctos, pro conciliatione rerum controuerſarum, fœdus diſtinctionum, pro certa conuentione: *Regem dedi, qui fœdere certo, & premere & laxas ſciret dare iuſſas habenas*, vt obſeruauit *Celſus Mancinus Rauennas libro 6. capit. 20. de Iuribus principatuum.*

Et hæc de vocabuli etymo ſufficiāt, cum non ſemper magnopere conſideretur, *Vaſquius lib. 3. Illuſt. controuerſ. cap. 3. num. 20.* Et quæſtio nominū, ſenatui populoq; Grāmaticorum & ipſis pertinacibus Grammaticis ſit relinquēda, *gloſſa & Dd. in d. fin. C. de conſtitut. pecun. Gloſſa, Dd. in Rubric. ſolut. matrimon. Tægius Tract. crim. par. 1. num. 9.* Homines quoque ſolidi, docti, & arcem ſapientiæ tenentes, deteſtantur hanc curioſam inquiſitionem, in verbis priſcis ſcrutandis, eruendis: cura, laborque, obſecro, quô pertinent, inquit *Camerarius doctiſſimus Germanorum libro quinto, Epiſt. poſt. pagina 532.* Eiuſdem enim

39 De re, non nomine cōtendendū.

est efficaciæ & labor eorum, qui in acinis cerasorum 150. imagines exprimere possunt. In grauioribus enim rebus non de nomine, sed de re contendendum est. Voca panem, si placet, lapidem, & da mihi, dum famesco, & ero contentus, inquit Æneas Syluius; cuius ingenium describit *Molin. contra paruas datas, pagina 134. numero 9. pagina 133. 135.* Hinc Proculus noster in
40 Verbis abutendum vt res intelligamus. *l. Insula, in fin. De præscrip. verb.* se verbis quibusdam abuti dixit, vt facilius intelligeretur, *De adquir. rer. domin.* Nec interest discentium, quibus quidque nominibus appellatur, dum res ipsa manifesta sit, *Quintilianus lib. 3. Inst. capite 6.* Qui vero fœdus ineunt, dicun-
41 Fœderatos diuerso sensu accipi. tur *fœderati*, (qui tamen alio sensu accipiuntur in *l. vltim. locati. Nouell. constitut. 116. capite primo.*) Et *confœderati*, vt supra dixi & adhærentes, qui sunt eiusdem velle, *Bellin. part. 10. tit. 2. tit. 6. de re milit. Grammat. Decis. 65. numero 38.* vbi allegat *Angel. in Authent. de hæred. & Falcid. per text. in c. Ad Apostolica, de re iud. in 6.* Vbi traditur Ser-
uum

uum Papam, Imperatorem & dominum deponere posse, &c. Vbi & omnes amicos suos sibique adhærentes in pace ponere, plenaque securitate gaudere, & huiusmodi adhærentibus armis & omni modo debemus auxilium ferre, *Angel. in l. 2. §. Excusantur, ad Syllanianũ.* Et inimicus vnius, est inimicus alterius, nisi expresse sit exceptus, *Bald. in l. liberi. Cod. de inofficios. testament.* & vnus tenetur alterum adiuuare, *Laudens. in Tractat. de confœd. conclus. 7. vel potius quæst. 7. & 27. & 52. Laude. 43.* Nisi conuentio aliud voluerit: *Laude. d. loco.* tales enim fœdere compræhenduntur, *Boss. tit. de vnion. numero 3. fol. 353.* vocantur **Bundgenossen / verbrüderte / vereinigte**: nobis placet illud *Aristotel. 2. Top. capite secundo,* In appellationibus rerum vulgarium & communium loquẽdum esse cum volgo, & in terminis disciplinarum locos probatos sequendos. Confœderatus tamen non requisitus, non tenetur iuuare, *Bald. in c. 1. de nou. form. fidel.* Quæ tamen adhærentia nullam confert Iurisdictionem in eum,

43 Confœderati adhærentibus auxilium ferre debent.

43 Verbis præsentibus & morib. antiquis vtẽdum.

44 Confœderationem non tribue reiurisdictioni.

cui quis adhæret, *Bald. consil. 506. vol. 5. per c. recipimus, in fin. de priuileg.* nisi in rebus ad fœdus pertinentibus, in iis enim ratione confœderationis alias non habenti Iurisdictio tribuitur, *Laudens. q. 7. de confœd.*

45 Num Dux belli pro arbitrio possit inducias dare.

Hoc in loco nobilis illa, & à variis mota ac disputata Quæstio discutienda occurrit, *An Dux belli, exercitusve possit pro arbitrio pacem vel inducias constituere cum hoste*; quæ tamen cum alibi rectius tractetur, eam in alium reiiciam locum; interim tamen lectorem ad *Dd. in l. 5. De pactis, Decium cons. 605. Decian. 3. vol. cons. 96. Vincentium Cabotium libr. 2. disput. cap. 15. Alber. Gentilem amicum nostrum in Tract. de iure belli, libr. 2. cap. 12. De induciis,* remittens.

CAP. IV.

De fœderum Generibus,

PRæmissis iis quæ natura exigente erant discutienda, ordine iusto seruato, hisce confinia, antequã ad definitionem perueniamus, sunt exponẽda, quæ fœdera discernant ac distinguant.

Origi-

Originem fabulosam fœderũ spontè silentio inuoluere volui; Quod enim fabulantur beneficio Mercurii reconciliationes inuentas, & fœdera quæ fiunt in bello, id reiiciendum, & vera origo ex sacris Pandectis, & historiarum monumentis potius repetenda, & iuri gentium asscribenda, quam ex A. Gellii & Polydori placitis deducenda est: ipsum enim Deum huius rei autorẽ honestiorem talem συμμαχίαν mutuam, fidei ac defensionis cõuentionem introduxisse, & per manus ad alias gẽtes trãslatã fuisse certum, & supra traditum est. 1 Origo fœderum vnde petenda.

Vt verò intelligamus, de quo fœdere principaliter differere decreuerimus, sciendũ est, Tria essefœderũ cõiungendorum genera passim tradita, licèt fines fœderũ varii sint, *Liu. lib. 44.* Menippus Antiochi Regis legatus dicebat legationem suã Romanis exponẽs, ignorare se, quidnã ꝑplexi sua legatio haberet, cum simpliciter ad amicitiã petendã iungẽdãq; societatẽ venisset: & fœdera alia aliis legibus, eodem tamen modo fiant. *Liu. dec. 1. lib. 1.* De hisq; fœderum gene- 2 Tria fœderum genera.

ribus ſparſim agunt, *Halicarnaſ. lib. 1. lib. 9. Antiquit. Rom. Liuius Dec. 4. lib. 4. lib. 9. lib. 43. lib. 48. l. 7. de capt. & poſtl. reuerſ.* vbi Proculus duo cōſtituit genera; alterum æquū, amicitię cauſa factū, iniquū alterū ſiue impar, cū pactio fit, vt is populus alterius populi poteſtatem comiter tueatur; qđ adiicitur, inquit, vt intelligatur, nō pari iure vtrunq; populum eſſe, ſed hunc altero ſuperiorem, qui tamē non deſinat eſſe liber. In priori genere pari in honore cōſiſtunt, & de captiuis reddendis, vrbibus tradendis, æquis conditionibus tranſigunt, *l. in bello, l. ſi captiuus, de captiuis.* In fœdere impari aliquid ſubiectionis & deditionis deprehendimus. Quamuis enim populus, vel ciuitas in eo fœdere non renunciet libertati, & ſocii ac cōfœderati tales Romanorum ſerui non fiant, *Antimach. lib. 3. de pol. c. 18.* tamen rectè Machiauellus obſeruauit, Romanos per ſpeciem huius fœderis redegiſſe in ſeruitutem Latini nominis homines; confœderati enim, quamuis non ſint ciues, ſed αὐτόνομοι, & liberi, *Valerius Maxim. libr. 5. c. 2.*

3 Proculi IC. diſtinctio fœderis.

4 In fœdere impari eſſe aliquid ſubiectionis.

& Plu-

& Plutarch.in vita Mar. Hinc *Cic.in Verrem:* Fœderatæ ciuitates & liberæ Centuripina, Haleſina, Segeſtana, *P. Faber lib.Semeſt.c.7.* Tamen ſi fuerint minores confœderatis, Machiauello ſubſcribo, ſub amicitiæ dulciſſimæ nomine tales facile opprimi & in ſeruientium ſpeciem redigi. Sic Auguſtus vrbium quaſdam confœderatas ad exitium licentiâ præcipites libertate priuauit. *Sueton.in Auguſto, cap.47. & Tiber. c.37.* Liuii diſtinctio multis videtur concinnior, plenior, & limatior; mihi verò viciosa. 1, Victorum & vincentium. 2, Recedentium ſpontè à bello æquo fœdere. 3, Amicitiæ contrahendæ inter non hoſtes. Vnum dixi genus eſſe cum bello victis dicerentur leges: vbi enim omnia ei, qui armis plus poſſet, dedita eſſent, quæ ex iis habere victor, quibus multari eos vellet, ipſius ius atque arbitrium erat: Tale fuit fœdus in quo Porſenſa leges dedit populo Rom. regib. expulſis, ne ferro, niſi in agricultura, vterentur, *Plin.lib.4.c.4.* Tale fuit fœdus, quod Æneæ ab Achæis fuit datum,

5 Liuii diſtinctionē vicioſam.

Halicarn. lib. 1. Sic Apuli eodem fœdere recepti, *Liuius lib. 9.* Et hi sunt subditi, & mittunt auxilia quoties accita fuere, *Halicarn. lib. 9.* Et hoc genus non

6 Flebile genus confœderatorum.

immeritò *miserabile*, & *flebile* appellatur, vt beneficium cessionis bonorum, *l. 7. l. 8. Cod. Qui bon. ced. poss.* Cui quoque annumerat *Bellin. de re militar. part.* 1. *titulo* 1. *numero* 11. pacem quam dedit Carolus V. Duci Saxoniæ *Ioanni Friderico*, valdè ineptè; quos ineptos sermones ne & nos inepti videamur, refellere nolumus, cum longè aliud acta publica demõstrent. Potius annumerabis huic fœderi illud, cuius fit mentio 1. *Reg. c. 13. v. 19.* & huius formulam recitat Liuius *lib. 20.* Estisne vos legati oratoresq; missi à populo, vt vos populumq; dederitis? Sumus. Tales dedititii non sunt vere in fœdere; sed in ditione esse dicũtur. *Hotto. in tract. verb. iuris, Menoch. 1. de arbit. iud. quæst. 100. nu. 6. & 23. Car. Sigon. De antiq. iur. Ital. cap. 14.* & dedititios propius accedere ad captiuos, quã confœderatos, probat ex Liuio *lib. 4. Bell. de re milit. part. 2. tit. 13.* Etenim plerunq; fiunt

7 Dedititios non propriè confœderatos.

sunt subditi & tributarii ac vectigales, *Iosuæ c.16.& 17.ibi*: Postquam autem cõualuerunt filii Israël, subiecerunt Chananæos, & fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos, *lib.1.Iudic.c.1. Machiauel.lib.1.c.1.& 4.* Similiter quis diceret nostro tempore, An. 1559. per Fridericum Regem Daniæ & Adolphum Holsatiæ ducem, generum magni Philippi Hassiæ Principis subiugatos Dithmarsos, olim in feudum datos, fœdus cum Principibus contraxisse, fere in ordinẽ rusticorum redactos. Patitur itaque " hæc distinctio correctionem, nisi abusi- " uè dixeris, *fœderatos*, & illos dici quibus " hæc gratia detur, vt ex inimicis subdi- " ti fiant, vel affirmaris cum *Cabotio, libr.* " *2.Disputat.de iure publico, capite* 10. hoc genus fœderis rectius *legem* aut *superioris imperium* dici. Rex Romanus, inquit Dionysius, in pacis conditionibus definiendis victos secum disceptare non patitur, sed se potius arbitrum fœderis putat; leges enim à victis accipiuntur, dantur à victoribus, *libr. 4.30.32.* & eleganter *lib.20.* Alterum genus de-

8 Dithmarsos non esse confœderatos Holsat.

finimus, cum pares bello æquo fœdere in pacem atque in amicitiam veniebāt; cum enim repetebantur, reddebanturque per conuentionem res; &, si quarū turbata possessio esset, eæ aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriusque commodo componebantur. Tale inter Romulum & Tatium Sabinorum Regem contractum scribit *Halicarn. lib. 2. antiquit. Rom. d. l. in bello. l. Si captiuus, de capt. Appian. de bello ciu. lib. 5.* Exemplum refert de Octauio, Antonio & Pompeio, & *Liuius lib. 28.* de fœdere cum Ætolis icto: ad quod genus *P. Faber 1. Semest. c. 7.* locum Iulii Cæsaris *libr. 1.* de bello ciuili accommodat, quo inquit Cæsar, magnopere se confidere, si eius rei sit potestas facta, fore vt æquis conditionibus ab armis discedatur; idē Faber eô refert verba *Velleii Paterculi vol. 2.* ibi: tentauit, sc. Sylla, iustis legibus & conditionibus æquis, sed iis quibus & pessima & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere, *Plinius in Panegyr. Traian.* Inducias, nisi æquis conditionibus, non inibant. *lib. 1. Machab.*

c.8. Ioseph. lib. 12. antiq. cap. 17. libr. 13. c. 17. lib. 14. c. 6. Quę vero fœdera ad hoc genus ex iis quæ ſuperiori capite recenſuimus, referri debeant, vnicuiq; apparet. Cui annumeramus non immeritò fœdus nuperrimè inter potentiſſimos Reges, Gallum & Hiſpanum præter omnium prudentum expectationẽ factum; quod vt diuturnum ſit, potius optandum quam ſperandum: Durare verò diu non poſſe, multis rationibus demonſtrare non eſſet difficile. Huic fœderi plerunque adiiciebatur, vt eosdem haberent amicos & inimicos, niſi quos excepiſſent, *Cic. lib. 12. Epiſt. fam. Liuius lib. 37.* & vt ad poſteros tranſiret. Nam ob iſtá clauſulam omiſſam, mortuo Tarquinio Priſco, Turnus contendebat cum Tarquinii perſona fœdus extinctum, *Halicar. lib. 4.*

Tertium genus dicimus, cum, qui hoſtes nunquam fuerunt, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe iungendam coeunt, eos enim neq; dicere, neque accipere leges certum eſt; id enim victoris & victi eſt. *Virg. 4. Æneid. 11. 12. Liuius libr.*

7.& 32.B. Brissonius lib.4.form.pagina 407. ex Petronio Arbitro. cuius exempla adducit *Ayala libr.* 1. *de iur. & off. belli,cap.7.* ibique huic generi annumerat, si prouincia vel ciuitas protectioni & tutelæ se alicuius principis subiicit, vel certis conditionibus accedit, *Dd. in d.l.7. Dd. in l.Si conuenerit,18.§.Si nuda, de pignorat. act. Ripa consil.55. Socinus Nepos cons. 6. part.* 1.& hoc quandoq; ratione defensionis, aliquãdo offensionis & defensionis causa, contrahitur. Is enim est effectus fœderũ, vt cõtrahentes ad mutua auxilia, vel militibus vel equitib. pręstanda, si ab hostibus fuerint oppugnati, ad mutuas opes & copias mittendas vel indefinite, vel certo numero teneantur confœderati, ad sociorum hostes euadendos, exceptis quibusdã, vel sine exceptione alicuius, *Bodin. lib.5. de rep. cap.6. Hippol. à Coll. de Princip. cap.3.*

Sciendum quoq; est fœdera nonnũquã æterna esse, fœdera salis, & per cõsequẽs, hęreditaria. Temporaria vero, definito tempore elapso, non videri factam renouationem fœderis & indu-

ciarum conuentionem, quod voluit *Imper. Frider. de pace Constant. §. in causis habent societatem, inquit, quam nūc habent tenere, & quoties voluerunt, renouare ei liceat.*

Cæterum fœdera accuratius posse distingui non negarim, si non ad publica tantum & legitima, sed pacta varia & priuata respexeris. Sunt enim diuina vel humana; vel diabolica, publica vel priuata: inter DEVM & populum inita, duplicem promissionem, spiritualem & corporalem, siue cælestem & terrestrem continentia. *Exod. cap. 19. Deut. 27. 28. 29.* Contra Diabolica & humana, de quibus *Weierus de præstigiis Dæmon. Bodin. de dæmonom. libr. 2. cap. 4.* & hęc fœdera contrahentes à bonis viris discernere difficile est, *Bodin. libr. 1. cap. 3. Gœdelman. lib. 2. de Lamiis cap. 2. Binsfelt. in tract. de venef.* quæ pacta & vniuersum negotium ex effectu potius quam rationibus sunt multoties colligenda, *Bodin. in præfat. Dæmonomon. pag. 6.* Pacta humana, inter homines sc. contracta, multiplicia sunt, *l. 2. 3. 4. 5. 6. de pact.*

9 Fœdera accuratius posse distingui.

Similiter inter homines sanguine iunctos fœdus est, quod Impp. *naturale* vocant. *l. Eum, qui, C. de Episc. & cler.* Deniq; fœdera inter collegas liciti collegii inita, *tot. tit. Pand. de colleg. & corp.*

Postremò pacta inter virum & vxorem facta, *Genes. c. 2. 1. Corinth. 11. 19. Rom. 10. Ephes. 5. 1. Cor. 6.* Hinc dicimus perficere fœdus coniugale, *c. Tria nos, in fin. de sponsal.* Fœdus matrimonii, *c. 1. vt lite non contestata.* Fœdera & pacta dotalia, *tot. tit. de pact. dotal.*

10 Confraternitates.

Cōfraternitas quoq; electorū & principum non tantum mutuā successionē, sed etiam fœdera continet, nec iure est prohibita, vt Zasius eleganter ostendit *consil. 1. num. 345. dec. consil. 516. volum. 3.* Qualis est confraternitas Saxoniæ & Hassiæ Principum, Marchiæ, Pomeraniæ, Megapolensium, Saxon. & Hennenbergensium, quæ originem ducere vidētur à sodalitiis Romanorum: illi enim habent sodales Augustales, Antonianos, Adrionales, vt in I. Capitolino legimus: & hoc confraternitatis pactum non esse inualidum nec improbum,

bum, siue ad defensionem, siue successionem respexeris, suprà dixi. Non enim pugnat cum *l. licet 19. C. de pact.* Etenim Duces & Comites sunt milites, *l. 2. C. de domestic. & pro. libr. 12.* Dicta verò *l. licet 19.* futuram successionem in militibus, quamuis non sint in expeditione, probat. Vel potius est dicendum, omnium gentium vsu & consuetudine Germaniæ, *d. l. Licèt*, abrogatam, *Dd. in cap. 1. De filiis natis ex matrimon. ad morganat. Salycetus in l. fin. C. de pactis, Guido Pap. quæstion. 145. Aufred. decis. Tholosan. 452. Arnoldus Ferron. in consuetud. Burgund. tit. de Testament. §. 22.* Quia per consuetudinem pacta de succedendo confirmantur, *Iason in d. l. pactum, numero 3. cap. Filii nati, in verb. vsu admittitur. Si de feudo fuer. contentio inter dominum & vasallum,* Wesenbecius *consil. 11. numero 26.* Quæ tamen confraternitates ab Imperatorib. confirmantur. Et dicuntur *paciscentes fratres*, & *hæredes conuentionales*, vel ratione pactionis, *pactionales*, Erbverbruderte/Erbvereinigte / *Masuer. in sua pract. tit. de* 11 Fratres pactionales.

societat.numero 20. Rebuffus in constit. Reg. de liter. obligat. articulo 3. Glosa 2. numero 27. 28. & seqqu. Franciscus Hottomannus consl.1.

Sunt & aliæ confraternitates Clericorum & Laicorum, & ordines, vt loquuntur, instituti, qui & potentiæ & diuitiis sunt locupletissimi. Antonius enim Arnoldus scribit Iesuitas singulis annis reditus decem tonnarum auri colligere; quod refellere conatur *Franciscus Montanus in Apologia pro societate Iesu, capite 33. pagina 127.* Ordo S. Michaelis M C C C C L X I. Equitum, Lunę M C C C C L X I V. Equitum aurei velleris M C C C C L X X V I I. Cuius ordinis siue fœderis auctorem & fundatorem scribunt Philippum Burgundum fuisse, eiusque articulos referre Iacobum Meierum *Annalium Flandric. libro 16.* non est incognitum. Mauritianorum M C C C C I X. Equitum, annunciationis Mariæ M C C C C X X. Equitum Stellæ M C C C L I. Militum S. Stephani M C C C C C L X I.

12 Fratres aurei velleris.

Et

Et ordo Spiritus S. ab Henrico Rege Galliæ M C C C C C L X X I X. introductus; qui ordines speciem fœderis referunt, vt relligiosorum Monachorum fraternitates ferè infinitæ, quæ fœdus & consensum in militia spirituali denotant, de quibus exquisitè *Hospinianus de origine Monach.* qui tamen ipsi sæpius ignorant, quæ sint regulæ ordinis & regularum genuina interpretatio. Franciscanos enim per quinquaginta annos concertasse, de quo colore; de qua mensura, formaque vestium regula sancti Francisci sit accipienda, referente *Antimachiauello in præfatione libri secundi.*

12 Confraternitas spiritualis.

Confraternitates spirituales, si & hoc scire aues, tunc demum piis locis asscribuntur, si fuerint requisita obseruata, tradita à *Felino in capite de quarta. de præscriptionib.* puta erectiones, Campanile, hospitale, & quædam alia, *Iosephus Ludouicus decisione 90. num. 9. part. 2.*

Dictum est tertio generi abusiuè

annumerari, si ciuitas vel prouincia se cōmiserit protectioni alicuius prin-
12 Protectiones. cipis: Ciuitates enim vel Imperiales vel liberæ, etiam aliis subiectæ, assumunt quandoque necessitate exigente protectorem, vel vulgò Schutzherren appellant, qui lite pendente inter ciuitatem & Principem, vel alium, in iusta causa ciuitatem defendat: & talis conuentio inprimis fieri debet cum Principibus vicinis, si pacti sunt subditi cum proprio Principe: Nam nihil est, inquit Bodinus, *libro primo De Republica, cap. 8.* quod magis animis Principum aduersetur, quam pacisci cum subditis per vim, iisque seruare fidem, refert autor in *Actis pacificat. Coloniens. pagina 283. Decius in l. 59. De re iudic. Decius 3. consilio 117.* debet etiam cum armis defendere ciuitatem, *l. 1. Cod. de domestic. & protect. libro 12.* non tamen suis, sed ciuitatis sumtibus, & insuper certa annua pensione soluta, *Anton. de Butrio in cap. accepimus, de priuileg. l. 5. §. qui 2. de re militari, Schurfius consilio 23. Centuria 3. Gail. practic.*

ctic.obseruat. 1. *obseru.* 54. Cum *armis*, dixi, quia natura defensionis exigit arma in publicis etiam, non priuatis, *l.* 19. *ff. ad Senatusconsultum Syllanianum. Alciatus* 3. *consil.* 2. quod quatenus liceat, & de via iuris, vel facti procedat, eleganter tractat amicus noster *P. Fridericus Myndanus, libro secundo de mandat. cap.* 14. vbi decem quæstiones totam materiam continentes collegit & resoluit. Verum tales ciuitates, quoad defensores receptos, manent liberæ, *argumento l.* 7. *de captiuis & postliminio reuers.* Clientes enim & vasalli vtcunque Dominos habent superiores; ma- 13
nent tamen liberi, *Godofredus in d. l.* 7. Cupiunt enim libertatem defendere, eamque ob causam conducunt auxilium potentioris; non vt amittant, sed retineant libertatem illibatam. Protectio enim alterius non eximit protectos à proprii domini potestate; quamuis eo nomine census præbeatur, *c. ex parte, &c. recepimus*, 8. *de priuil. legat.* neque subditi sunt istius principis. *Gail. tractatu de Arrest. Imperii*

Protectionē non eximere à iurisdictione Domini.

capite septimo. Protectio namque nec iurisdictionem, nec collectandi potestatem tribuit. *d. c. ex parte, 18. de priuileg.* Romani primum vicinos maxima versutia sub clientelam vocarunt, *clientes*, nominantes, illisque agros & fundos in clientelam concesserunt, *Boneus in tractatu de cens. articulo vigesimo sexto, pagina quinquagesima quarta.* Et licèt clientela magnam habeat cognationem cum feudis, *l. 3. de nouation.* tamen feudum ab iis originem non ducere, contra *Vdalricum Zasium in libro secundo de origine Iuris, Molineus ad consuetudines Parisienses, titulo 1, & Borcholdt de feudis, capite 2. numero 4.* rectè defendit. Cliens Romanus, conferebat in dotem filiæ Domini; & æs alienum eius nomine soluebat, vasallus non etiam, *Tit. Si de feud. defunct. §. non est consuetudo, de alienatione feudi, Guilielmus Fornerius De feudis, de origin. pagina septima.* Licèt verò clientibus onus militiæ annexum non fuerit, vti *Borcholdt asserit dicto loco*; tamen censum imposi-

Clientes.

tum

tum clientelæ militiæ certum est. Caueant tamen, qui se alteri in clientelam dant, ne libertatem amittant. Componantur itaque & quidem cautè, protectionis capitula, ne ex illis occasio subiectionis potius, quam protectionis beneficium oriatur, *Petrus Gregorius de Republica, libro vndecimo, capite vndecimo, numero sexto.* Eo enim pacto scimus Ioannem Vngariæ Regem, regnum in seruitutem coniecisse, & alios, Traiectum ad Mosam, Cameracum, Metens. Tullos, Verodunos libertatem amisisse. Hi *protectores*, aliàs vocantur *Patroni*, *Aduocati*, quod scilicet defensionem clientum, ciuitatum vel Ecclesiarum suscipiunt. Idcirco dicuntur Germanis, Voigte / Schutzherren / Schirmherrn / Pfleger / vice domini, Vitzthum.

Protectionis capitula cautè conscribenda.

Huiusmodi Aduocatos olim dederunt Imperatores, Reges & Principes, progressu verò temporis sibi ciuitates, Ecclesiæ, Abbates, sumserunt

14 Aduocati, Patroni, protectores.

poteſtatem contra proprium commodum laborantes, quoſcunque & vndecunque vellent eligendi; & eligebant Imperatores, Reges & potentiſſimos quoſque, vt eo minus improborum hominum expoſiti eſſent iniuriis, & vt eo diligentius officium facerent, iuramentum olim præſtiterunt inprimis Eccleſiis. Hoſpinianus de origine Monachorum, pagina 150. Et hoc ſenſu *aduocati* vocabulum accipitur, *cauſa 17. quæſt. 1. in principio.* Sic quamuis patroni dicantur Aduocati, Oratores accuſatos, defendentes, quicquid Valla ſentiat, *Cicer. pro Sex. Plautus in Moſtellaria, l. Aduocati. 14. Cod. de Aduocatis diuerſorum iudicum*, & patroni verbum datum ſit manumiſſoribus, *l. 8. §. patroni, de in ius vocando.* Tamen poſtea Duces & Principes ciuitatum, vel Regionum, *patroni* dicti ſunt, Ioannes Bodinus libro quinto de Republica, capite 6. Sunt enim defenſores eorum quos habent in clientela, & quos gubernant. Et non immeritò, cum patroci-

trocinium pro tutela accipiatur apud *Saluſtium in Catil.* Sic gubernator nauis dicitur patronus, *l. 1. vbi Dd. Cod. de nauicul. ſeu naucleris lib. 11.* Clientes tamen hodie à ſubditorum cõditione parum, multis in locis differunt, quorum mentionem facere, præſertim eccleſiaſticorum, odioſum eſt. 15 Clientes. Electores & Duces Saxoniæ ciuitatũ Mülhauſen/ Northauſen/ Erffurdt/ ſunt protectores vetuſtiſſimi; quę protectio certo tẽporis ſpatio renouatur; & quãuis ſint liberæ, & Imperiales ciuitates, & ſubditis tantum & vaſallis ſcribatur, **vnſern lieben getrewen/** tamen & *clientes fideles* nominamus, *Gail. tractatu de Arreſt. c. 7. num. 13.* & ita in Curia, ſiue aula Sax. obſeruatur. Verũ in reliquis nõ ſunt ſubditi, neq; iuriſdictioni, quam Cameræ Imp. vel loco ordinario ſe ſubiiciunt; de qua re ne plenius agamus, monet nos ratio inſtituti noſtri.

Cæterũ ne & hoc omittamus, fœdus licèt quãdoq; *vnio*, vt ſupra dixi dicatur, tamen vnio Eccleſiarum & vnio prolium, non eſt fœdus, cum ſit pactum priuatorum, quod diuerſi matrimonii li-

beri pariter ſuccedant, *Rickius de vnion. prolium, c.1. num.8.*

16 Confœderatos Rēp. non conſtituere. Ex præcedentibus iam relinquitur; Confœderatos vnam Remp. non conſtituere; egregie enim docet & reſpondit de iure publico interrogatus ICtus, Depulſiones iniuriæ, & poſſeſſiones rerum Rempublicarum non facere, *d.l.7.*

Reſpublica enim perpetua eſt, puta, noſtra intētione, poſſeſſiones & diuitię, res lubricæ, *Caſo lib.3. polit. c.6.* ex Ariſtotele probāte. Sequitur inde qd' fœderatus nō ſubditus, non committat rebellionem, nec dicatur incidiſſe in crimen leſæ maieſtatis, qui confœderatus manet liber, & nō eſt ſub iuriſdictione fœderati, *d.l.7.* idem ſtatuendum in adhærente, *c. ad Apoſtolicos, de re iudicata, Boſſius in titulo de crimine Maieſtat. numero 89. pagina 218.* Rectè tamen monet Decius inſpiciendam eſſe formam fœderis, cum ea poſſit transferri iuriſdictio, *Decius in l. final. de iuriſdict. Iaſon ibid. num. 21.* vbi allegat *Bald. in l. Executorum, Cod. de exter. rei iud.* Quamobrem ſi vnus ex confœderatis relegarit aliquem ex pro-

propria regione, non poteſt iubere idem; ne relegatus in confœderati regionem commigret, *Polybius libro 6. hiſtor. quem Menochius adducit ſupra dicto loco, Bald. in l. de quibus, numero 25. de legibus.* niſi pactis hoc cautum ſit à confœderatis, ne alterius ob maleficia relegatum recipiat. & ita ſunt accipienda quæ tradidit *Albericus de Roſat. in d. l. 7.* Quod ſi verò is, qui talem recipit, maleficium commiſſum negarit, probatumque non fuerit, pactis ſtare non tenetur.

In hoc tractatu tantũ agemus de fœdere defenſionis honeſtæ, neceſſariæ, vtilis inter Principes & Principes, vel inter Principes & liberũ populũ, vel inter plures ciuitates inito; qđ genus maximè eſt in vſu, & inter reliqua optimum, volgo *defenſiuũ*, eo modo quo explanat defenſiuũ bellum *Frachett. de princ. lib. 2. cap. 3. pag. 158.* appellant, quale fuit inter Athenienſes & Archiuos, in annos 100. initum, ſine dolo & noxa terra mariq;, *Thucyd. lib. 5.* vbi ſtatim in principio formulã recitat, quod vt in explicatio-

ne definitionis plenius explicabimus, ex iure naturali, vt & bellum descendit. *Vacca in l. 1. de constit. Vasquius Controuers. illustr. lib. 1. c. 9. num. 9. de testament. potent. libr. 1. §. 1. num. 43. Plato Dial. 9. De ll. referente Menochio lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 3. Casu 277. l. 1. C. vnde vi, l. 2. ad l. Corneliam de sicar.* non quod à natura huiusmodi quicquam sit, sed quod cōgenitis quibusdā effectib. aliter esse non possit, *Alberic. Gentil. de iur. belli, lib. 1.*

Verum Theologi alia ratione hāc defensionem circumuallāt; etiamsi enim moderatè vim vi repuleris, & tamen repulsio animo fiat lædendi & vlciscendi, damnādam talē censent defensionem, *arg. c. 26. Matth. v. 19. Danæus in Eth. Christiana, lib. 2. c. 13.* Sed talis defensio vix ardore iracundiæ & commotione animi regnante in mortalibus, deprehēditur. Itaq; pœna in excedentis modum constituta est, *Menoch. de arbit. iud. lib. 2. cent. 3. Casu 275.* Et tale defensoriū fœdus, & bellū iurisgentium cum ratione à Principibus contractum & institutum, ita naturę adscribimus, ne latrocinia & cōiura-

iurationes approbasse videamur, quæ non ex iusto fœdere, sed malitia & prauitate hominum oriuntur. Quiq; tale contrahit fœdus, neminem dicitur lędere; ita enim præceptum iuris, *Neminem lædere*, interpretamur, vt illatam iniuriam repulsare possimus, *d.l. vt vim, l. sed & partus, quod metus causa, l.4.l. sciētiam, Ad l. Aquil. Cic. pro Milone, Menochius de arbitrar. iudic. lib. 2. cent. casu 277. Ouidius,*

Armaq; in armatos sumere iura sinunt:

Iuxta communem enim omniū legem inquit *Thucyd. lib. 3.* iuste punitur hostis qui te prior inuasit. Et huic fœderi sæpius adiicitur formula, Ne illi vel illi recipiantur, neve peregrini, *M. Tull. pro Corn. Balb. Appian. lib. 2. de bello ciuili.* Quādoq; recipiuntur, sed cum exili cōmodo, *Liuius lib. 24.* Nonnunquam etiam cauetur, vt eosdem amicos & inimicos fœderati habeant, *Cic. 11. Epist. famil. Liu. libr. 37.* & ita hodie in bellis offensiuis & defensiuis. Sic ne plures quam tres vel quatuor fœdere comprehendātur; magni enim pōderis quæstio est, quam supra paucis attigi, *An satius sit, pauci vel*

plures fœdera contrahant, quam Deo volente explicabimus, & alia capita illustrabimus *lib. 2*.

Hactenus ſcio me ſanctè & iuſtè de Deo, de magiſtratibus, de ſalute Reipublicæ, de concordia, de fœderib. ineundis, & ſeruandis, de ſociis rectè eligendis, colẽdiſque, de iure publico, de ſummo Cæſare, locutum eſſe, vt nihil exhorreſcam, quidquid de me Principes boni & Conſiliarii prudẽtes ſtatuerint; ac confido & ſpero me bonis bene ſcripſiſſe, & non gratiæ, ſed veritatis præſidium amaſſe. Sentiat quiſque quod voluerit, & expectet ea quæ præcedentibus naturâ cohærent, & tum pro libitu ſuffragium quiſque ferat. non tanti eſſe etiam multi dicent, vt calumniam mereatur hic labor: Prudentes rogo ne in ruinoſa animaduertant, nec ex vno vel altero membro totam formam diiudicent tractationis futuræ; quod ſi incauti fecerint, annumerabũtur muſcis, ſanam corporis partem præteruolantibus, & vlcus occupãtibus. Cum volgo vel docto calumniatore (qui rixatur

tur, nō diſputat, *Arian. lib. 2. Comm. Epiſt. c. 12.*) nihil nobis negocii. Si.n. in his pręparatoriis aut pauca, aut multa, aut omnia ſint, quæ improbis parū placeāt, legēdis iis abſtineant, & euoluenda relinquāt illis, quorū iudicium ſit ęquum. ICti enim norunt & fatentur cum Augustino *lib. 4. De anim. c. 1.* multa in omni opuſculo, quæ iuſto iudicio, & nulla temeritate culpari poſſunt.

Poſt optimorū meſſorū terga ſpicas collegi: itaq; non mirabor, ſi forſan omnes hæc noſtra omnia nō probarint, cum etiam nobis omnia aliorum nō arrideant: prudentes omnem operam nō periiſſe ingenue iudicabunt, in iis explicandis, quæ hoc exulceratiſſimo tempore mihi in mentem inciderunt. Putaui certe me horas ſuccisiuas in pulcriore comāda Sparta collocare nō potuiſſe, cum præter alias cauſas ſcribēdi temporū ſtatus nobis, tum peregrinādi labor, & morandi tædium materiā diſſerendi obtulerit. Ego reuera maiorem voluptatem ex hac meditatione inter varia negotia quam alii ſangui-

ſugæ ex contentione immortalium litium, percepi: quæ quia poſthac infinitæ erant in noſtra patria, contemtu non carebit labor eorum, qui in rebus inanibus ſpem augent aliorum fruſtra: quod eſt ἐν τῇ Φακῇ μύρον largiter profundere; imo animam Diabolo offerre, quod eſt perdere.

Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM NOTABILIORVM, QVÆ IN hoc de fœderibus tractatu continentur.

B.

ctio.

temnan-

Fœdus

H.

I.

Mili-